

ca quod duo facit, quia primo agit de talis ordine peccandi diffusè. Secundo refutat, quæ dixerat, magis summatim, & magis superstringendo ibi: [Itaque ut breuiter.] Circa primum quatuor facit, quia primo agit, quod idem ordo peccandi est in quolibet homine, qui sicut in primis parentibus. qd sicut tunc serpens persuasit mulieri, & mulier persuasit viro, sic & nunc serpens i. sensualitas persuadet mulieri, i. rōni inferiori, & mulier persuaderet viro, i. ratio inferior rationi superiori. Secundo determinat de ratione inferiori, & superiori dicens, qd sicut Adæ non inuentum est simile, nisi Eua, sic rōni superiori non inuenitur simile, nisi rō inferior. Et sicut Adam, & Eua fuerunt duo in carne vna, sic rō superior, & inferior sunt vna mens, vel sunt duo in mente vna. Tertio declarat quomodo sunt in peccato ista tria: Serpēs: Rō superior, & inferior. Quarta declarat, quando in talibus habet esse peccatum veniale, & peccatum mortale. Secunda ibi: [Et sicut in cunctis.] Tertia ibi: [Nunc supereft.] Quarta ibi: [Et tunc est dānabile.] Tūc sequitur illa pars: [Itaque ut breuiter.] In quo magis summatim restringit, quæ dixerat. Circa quod quatuor facit, quia primo ostendit esse simile de viro, & muliere, & de ratione superiori, & inferiori. Secundo declarat, quomodo cum illa similitudine est ibi dissimilitudo, quia cum vir, & mulier dicant diuerfas personas: poterat vna damnari sine alia. Sed cum ratio superior, & inferior dicant eandem pertonam, & eandem mentem, non potest una damnari sine alia. Tertiò quia sic diffuse tractauerat de potentiis animæ ait, quod hoc fecit, vt plenius cognoscatur, secundum quam portionem habet esse liberum arbitrium, quia habet esse secundum portionem superiori, quæ dicitur vir, & quæ dicitur ratio superior, sine qua non potest esse peccatum mortale, quia nisi vir, i. ratio superior consentiat: non est peccatum consummatum, vt debeat dici mortale. Quarto, & ultimo ait, qd licet sensualitas sit illud, quod habemus commune cum pecore, cum in Scriptura sacra sepe pro sensuilitate accipiatur ratio inferior. Secunda ibi: [Ne que sicut in illis.] Tertia ibi: [Hæc de anima.] Quarta ibi: [Non est autem.]

## Q V A E S T. I.

De sensualitate, &amp; peccato.



VIA Magister in littera agit de duobus: de sensualitate, & ratione; ideo de his duabus queremus. Circa sensualitatē autem queremus quatuor. Primo prout comparatur ad mortū, ēm quem distinguitur a rōne inferiori, & superiori. Et queretur vtrum sit bona distinctione Magistri, quod lunt in nobis tres motus: sensualitatis, rationis inferioris, & superioris. Secundo queretur de sensualitate, vt comparatur ad peccatum; Vtrum in sensualitate

A possit esse peccatum. Tertio vt comparatur ad suam subiectiōnem: Vtrum sensualitas sit subiecta rationi, & sit apta, nata ei obedire. Quarto vt comparatur ad suam naturalitatem: Vtrum sit naturalius sensualitati moueti ex impetu, vel moueri, vt ei imponitur frēnum a ratione.

## ARTIC. I.

*An in anima sint tres motus distincti.**Conclusio est affirmativa.*D.Th.d.24.q.2.art.1. & q.3.art.1. D.Bon.d.24.art.2.  
q.1.Rlc.d.24.q.10.

B



DPRIMVM sic proceditur: videtur, quod inconvenienter distinguantur à Magistro in littera tres motus: videlicet Motus sensualitatis: Rationis inferioris, & Superioris. Nam motus naturalis est fundamētum omnium istorum, vel saltem est fundamentum motus sensualitatis. Videtur ergo, quod sint in nobis quatuor motus, videlicet motus naturalis, & isti tres motus taciti.

Præterea si dicatur, quod hic ponūtur solum motus, in quib⁹ habet esse peccatum. Dicemus, quod in motibus naturalibus habet esse peccatum, nam naturaliter mouemur ad cibum, & ad coitum. Et tamen in talibus habet esse peccatum gula, & luxuria: ergo &c.

Præterea motus habet esse in eodem genere, cum re, ad quam est motus, sed motus nutritiæ, & generatiæ terminantur ad naturam. Data est enim nutritiua homini, ut saluetur natura individui: generatiua verò, ut saluetur natura speciei: ergo homini motus sunt naturales, & terminantur ad naturam. sed in eis, vt patet, potest esse peccatum. ergo quatuor sunt motus, in quibus potest esse peccatum.

Præterea videtur quod in ratione inferiori non possit esse peccatum secundum inotum delectationis, quia talis delectatio esset secundum regimen corporis, & per consequens esset secundum corpus. sed huiusmodi delectatio competit sensualitati: Non ergo habebit specialem rationem peccati ex eo, quod delectatur ratio inferior circa ea, quæ sunt corporis. quia tunc ratio inferior non differret à sensualitate, & tunc eadem esset delectatio utriusque, & per consequens eadem operatio, vel idem actus & eadem potentia, cum potentia distinguantur per actus. sed hoc est impossibile; ergo &c.

Præterea ratio superior, & ratio inferior non differunt, ut patet per Aug. in 12. de Tri. nisi quia illa intendit æternis coniulendis, hęc temporalibus administrādis. Ad unum ergo, & idem peccatum non concurrunt ratio superior, & inferior, quia si committitur tale peccatum circa temporalia: hoc spectat.

Tomo 3.

spectabit solum ad rationē inferiorem; nec etiam vī, q̄ declaratio attribuatur rationi inferiori, & cōsensus in opus rationi superiori. Quia illa cādē potētia, qua delectatur, illa consentit in opus.

Præterea eius, cuius est delectari, eius est consentire in opus. Per hoc ergo non poterit fieri distinctio rationis superioris, & inferioris, vt videtur Magister velle.

**I N C O N T R A R I V M** est Magister in littera.

### R E S O L V T I O .

*Motus sensualitatis, rationis superioris, & inferioris distinguuntur. Superior enim moderatur inferiorem: inferior uero sensualitatem, ut in artibus uidere licet. Sed ratio superior, & inferior potentiam magis appetituam, quam cognituam dicunt.*

**R E S P O N D E O** dicendū, q̄ cum distinguitur motus sensualitatis à motu rationis superioris, & inferioris. Primo videndum est, quam potentiam dicat ratio superior, & inferior: vtrum dicant potentiam cognitiam, vel appetituam. Secundo videndum est, quomodo accipiuntur illi tres motus, & quare motus naturalis nō computatur inter huiusmodi motus. Tertio ex dictis poterimus descendere ad declarationem quæstionis propositæ.

Propter primum sciendum, q̄ Magister in litera sensualitatem assimilat serpenti: rationē inferiorem assimilat mulieri: rationem superiorē viro. Et sicut in primo peccato suggestio fuit à serpente, delectatio secundum suggestionem fuit à muliere, consumatio peccati fuit per virum: sic & nunc sensualitas suggerit rationi inferiori tanquam mulieri, quæ si delectetur in suggestione illa, dicitur hoc pertinere ad rationem inferiorem. Et dicit de illa re uerita gustare ratio inferior: sed si consentiatur in opus, & consumatur peccatum, dicitur hoc fieri per virum, siue per rationem superiorē. Ex omnibus autem his tribus, & ex parte sensualitatis, & ex parte delectationis, quæ attribuitur rationi inferiori, & ex parte consensus in opus, qui attribuitur superiori rationi; possumus ostendere, q̄ ratio superior, & ratio inferior magis nominant potentiam appetituam, quam cognituam.

Primò ergo patet hoc ex parte ipsius sensualitatis. Nam si ratio superior, & inferior condidantur contra sensualitatem, oportet, q̄ sic accipiatur ratio superior, & inferior ex parte rationis, sicut accipitur sensualitas ex parte sensus. Sed sensualitas est ipse appetitus sensitivus præsupponens cognitiam; ergo ratio superior, & inferior erūt ipse appetitus intellectivus præsupponens cognitionem intellectuam. Sicut ergo liberum arbitrium, & voluntas dicunt unam, & eandem potentiam appetituam, sic ratio superior, & inferior dicunt illam unam, & cādē potentiam appetituam; aliter tamē, & aliter. Quia

A liberum arbitrium, & voluntas sumuntur ex diuersitate obiecti, non habito respectu ad corpus. Nam voluntas dicitur esse in aliquo solū ex hoc, vt fertur in finem, & liberum arbitriū, vt fertur in ea, quæ sunt ad finē. Sed ratio superior, & inferior sumuntur ex diuersitate obiecti per comparationem ad corpus, nam, vt anima administrat corpus, dicitur habere rationem inferiorē. Vnde Aug. 12. de Tri. c. 11. vult, q̄ scientia, quæ est de humanis, pertineat ad rationē inferiorem, & postea eo. lib. c. 12. Sapiētia, quæ est de aeternis, vult, q̄ pertineat ad superiorem rationem. Quandiū ergo iudicamus de agēdīs per rationes humanas, & per rationes politicas, stamus in ratione inferiori. Quando uero iudicamus de eis per leges, & rationes diuinās, stamus in ratione superiori.

B Aduertendum tamen, q̄ cum ratio superior, & inferior dicant appetitum intellectiuū. Quia cū huiusmodi appetitus præsupponat cognitionem intellectuam, & habet regulari finē leges rationis: ideo ad rationem superiorē, & inferiorē adaptantur sapientia, & scientia, prout appetitus intellectivus regulari habet per hoc, & illud. Et, vt regulatur per sapientiā, dicitur ratio superior, & per scientiam inferior.

C Aduertendum etiam, q̄ hæc distinctio rationis superioris, & inferioris data est ab Augustino, vt homo distinguitur à bestijs. Et quia homo distinguitur ab eis per solam rationem: ideo nō obstante, q̄ præfata dicant potentiam appetituā, dicuntur esse ratio superior, & inferior propter huiusmodi distinctionē: quia per rationē distinguitur homo à bestijs. Sicut ergo sensualitas dicit potentiam appetituam ortam à sensu: sic ratio superior, & inferior, vt hic de his loquimur, dicunt potentiam appetituam ortam ab intellectu, vel a ratione. Ex ipsa ergo sensualitate, cui conuiduntur ratio superior, & inferior, patet, q̄ hæc duo dicunt potentiam appetituam.

Secundo hoc idem patet ex ipsa declaratione, quæ attribuitur rationi inferiori. nam delectari, propriè loquendo, ad appetitum pertinet.

Tertio hoc idem patet ex ipso cōsensu in opus, qui attribuitur rationi superiori: nam consentire in opus, & mouere potētias alias ad suos actus competit voluntati, & appetitui, ut patet per Philosophum in 3. de Anima c. de Mouente.

D Viso, quam potentiam nominant ratio superior, & inferior, q̄ nominant potentiam appetituam prout regulantur à ratione tanquam à potentia cognitua, restat ostendere quomodo accipiuntur illi tres motus, & quare motus naturalis non connominatur in eis. Sciendum ergo secundum Philosophum in 1. Ethic. q̄ homo vivit, & Eth. 1. Nico. potest vivere triplici vita, voluptuosa, politica, & contemplativa. Homo enim cum sit mediūs inter bestias, & substārias separatas, tripliciter considerari potest. vel, ut cōuenit cum bestijs, & sic si sequatur solum impetum dī viuere vita voluptuosa, & iste motus attribuitur sensualitati.

Secundo potest considerari homo fin se, vt est homo: &, vt habet animam administrantem corpus

corpus , & sic potest viuere vita politica , & hoc A competit ei fm rationem inferiorē. Et ideo Augustinus scientiam, quæ est de humanis, attribuit rationi inferiori quia appetitus rationalis dī ratio inferior, vt regulatur per scientiam, & per rationes politicas, vt intendit administrationē corporis rerū temporalium deseruientium corpori.

Tertio modo potest cōsiderari homo, vt cōuenit cum Deo, & cum substantijs separatis, & sic viuit vita cōtemplatiua , & dī viuere fm rationē superiorem, quæ contemplatur æterna. & dī regulari fm sapientiā, quæ est de diuinis, & eternis. Motus autē naturalis, vt motus nutritiua, & generatiua, prout est naturalis tantum, & prout nō est aptus , natus obediens rationi , sic talis motus non est hominis. vt homo est: vt, q̄ fiat consumptio humidi, & ex hoc homo famescat: vel q̄ fiat bona decoctio, & ex hoc generetur bonū semen, & q̄ semen illud benè organizet menstruū. In talibus homo nec meret, nec demeretur, nisi prout talia subsunt appetitui intellectiuo, & rationi vel appetitui sensituo , vt est aptus , natus obediens rationi . Et quia motus naturalis non est hominis, vt homo est. nec est in potestate nostra, nisi, vt regulatur per rationē, vel per appetitum sensituum, vt obedit rationi: ideo omisso motu naturali, sufficit , tres motus distinguere, videlicet motū sensualitatis, & rationis superioris, & inferioris . Ex his autē patere pōt veritas quæstī . nā oportet hos tres motus se habere per ordinem . motus enim sensualitatis est omnino inferior , motus rationis superioris omnino superior, motus rationis inferioris est medius, & quia superiora regulant media, & media infima: ideo ratio superior est apta regulare inferiora , & ratio inferior sensualitatē. Si ergo videmus in rebus cōiter esse tres artes: unam, quæ præparat materiā: alia, quæ inducit formā: tertiam, quæ utitur re facta. Sicut .n. videmus in domo , q̄ Vna ars præparat materiā, & dolat lapides. Secunda cōponit lapides dolatos, & facit domū. Tertia, quæ utitur domo, & inhabitat domū. Sic etiam in nauī una ars dolat ligna, & præparat materiam nauis. Alia, quæ cōponit ligna dolata, & facit nauem. Tertia, quæ utitur nauī, & ducit nauē. Ars autē vſualis, quæ utitur nauī, imperat nauifactiū, & regulat eam, & talē facit sibi fieri nauē, qualē vult. Nauifactiua verò imperat dolatiū, & facit dolari ligna: sicut expedit . Nā sic inhabitator domus, qui utit domo, imperat domifactiū, & domifactiua imperat arti dolanti lapides, & præparat materiam. Et licet non sit omnino simile de huiusmodi artibus, & de tribus viribus , de quibus loquī debeamus; Dicimus tamē eas tres vires, & non tres potentias . quia ratio superior & inferior non sunt nisi una potētia. Possunt autē dici duæ vires propter duo officia. sed, ut diximus , nō est omnino simile de præfatis artibus , & de huiusmodi viribus: possumus tamen ex dictis concludere, q̄ semper id, quod est excellētius, magis respicit ultimū finē, & ad illud magis spectat imperare de opere, ut inhabitatio domus imperat qualiter debeat

fieri domus , & nauī, qui imperat qualiter debet fieri nauis, nec procedunt in opere alijs artifices, nisi fm q̄ usualis imperat. Sic & in proposito ratio superior, quæ est excellētior ratione inferiori & sensualitate illa, magis respicit ultimum finē, & ad eam magis spectat imperare de opere. Propter quod consentire in opus attribuitur rōni superiori, quæ magis respicit finem. Delectari verò attribuitur rationi inferiori & suggesteret sensualitati, quæ sunt aliqua circa finē. Sunt autē ali qui aliter hoc adaptātes dicentes, quod ratio superior se habet in istis viribus , sicut se habet ars inferior in ciuili , militari, & equestrī . Ars enim ciuilis habet regere ciuitatem, & imperare omnibus, qui sūt in ciuitate, & respicit uniuersale bonum ciuitatis. Ars autē militaris respicit quoddā bonum ciuitatis, vt victoriam, etiā debet esse sub ciuili, & sub eo, qui regit ciuitatē, nec debet exire in opus , nisi quatenus imperat qui regit ciuitates . Ars autē equestris non habet se intromittere, nisi de his, quæ sunt equi, & debet subesse militari. Ciuilis ergo, qui regit ciuitatē, omnibus imperat, nec debet aliquis exire in opus: nisi, fm q̄ imperat ille, qui regit ciuitatem . Sed omnia ista pro tanto habent veritatē, inquitum ciuilis se habet, vt vſualis, & omnibus vtiſ ad vſum eius, vel ad vſum, vt sibi placet. Sic & in proposito rō superior se habet ut vſualis, & omnibus alijs vtitur ad vſum, vt sibi placet . Hoc est n vti, applicare rē ad opus suū. vt si opus baculi est percutere, hoc est vti baculo, applicare ipsum ad percussionē, ut si opus equi est equitatio , hoc est uti equo , applicare equum ad equitationem . Et si opus oculi est videre, hoc est uti oculo, applicare oculum ad eā, quæ vult videre.

Ratio ergo superior se habet, vt vſualis in regno animæ : quia omnibus secundum suam uoluntatē utitur , & omnia applicat ad opus secundum beneplacitum suum. Propter quod exire in opus , & consentire operi attribuitur rationi superiori, quæ respicit vniuersaliorem finem. Delectari autē , & suggestere possunt attribui rationi inferiori, & sensualitati circa finem .

#### D V B. I. L A T E R A L I S.

*An ratio superior , & inferior potentiam magis appetitiuam, quam cognitiuam dicant .  
Conclusio est affirmativa .*

Ric.d.24.att.10.

**L**ATERIUS fortè dubitaret aliquis, cum dictum sit , q̄ ratio superior , & inferior nominent potentiam appetitiuam: Vtrum possint nominare potentiam cognitiuam . Dicendum, q̄ ratio superior, & inferior de se magis nominant potētiam cognitiuā, quam appetitiuā: quia ratiocinari ad cognitiuā pertinet, & ratio potentiam cognitiuam : dicit tamen in proposito cum loquimur de ra-

de ratione superiori, & inferiori, ut condicunt contra sensualitatem: quia sensualitas dicit potentiam appetituum: & loquimur de eis, prout rationi inferiori attribuitur delectari, rationi superiori cōsentire in opus; cum delectari, & exire in opus spectent ad voluntatem: quia homo non operatur, nisi velit loqui hoc modo de ratione superiori, & inferiori, magis est loqui de voluntate, & potentia appetitua, quam cognitiva.

**A**dvertendum autem, quod voluntas non exit in actum, nisi primo intellectu: quia bonum intellectu est motuum uoluntatis, & etiam intellectus non exit in opus, quod habeat efficaciam, nisi prævia voluntate: absolute enim intellectus præcedit voluntatem. Est enim hic ordo, quod non est in potestate nostra, quid nobis veniat in mente: anima, non existente in opere, oportet, quod primo mouatur intellectus, quo moto, statim mouebitur voluntas, & quia in potestate uoluntatis sunt omnia alia, in potestate voluntatis erit: Utrum intellectus stet in illo actu intelligendi, vel conuerteret se ad alium, uel ad oppositum actum. Propter quod actus intellectus non potest habere efficaciam sine imperio uoluntatis: propter quod Augustinus in de Trinitate dicit, quod partum mentis præcedit appetitus. Non enim ait, quod actum mentis præcedit appetitus: sed, quod partum. Quia tunc dicunt mens parere, quando sic sicut in suo actu intelligendo, quod ibi generatur uerbum, quod potest dici partus mentis. Potest ergo esse intellectus in actu sine imperio voluntatis: sed non potest habere efficaciam actus eius, nec potest susterre in illo actu sine voluntatis imperio, & quia sic se mouent ad inuicem uoluntas, & intellectus, & sic actus unius requirit actum alterius, non est inconueniens ea, quae sunt uoluntatis, denominari ab his, quae sunt intellectus, & rationes, & conuersio: immo quia absolutè, & simpliciter ea, quae sunt intellectus, præcedunt ea, quae sunt uoluntatis: ut esse omnino decessus, & congruum, quod ea, quae sunt uoluntatis: denominari possint ab his, quae sunt rationis, & intellectus: & ideo si uoluntas, uel potentia appetitua, quae sine ratione in actum exire non potest, ex hoc dicatur ratio, & dividatur in rationem superiorem, & inferiorem, non debet inconueniens reputari.

**R**ESP. AD ARG. Ad primū dicendū, quod motus naturalis & si est fundamentū aliorū, tū ut est naturalis, non subiacet rationi, nec est in potestate nostra: & ideo secundū quod huiusmodi, ibi non potest esse peccatum. Si autem aliquo modo potest esse peccatum, erit in potestate nostra, & pertinet ad sensualitatem. Propter quod non sunt nisi tres motus tantū, in quibus potest esse peccatum:

Ad secundū dicendum, quod naturaliter mouemur ad cibum, sed si iste motus naturalis surget solū ex qualitatibus actiū, & passiū absque motu sensualitatis, nullo modo est ibi peccatum: quia nullo modo est in potestate nostra: nec directe, quia non oritur ex imperio rationis: nec indirecte, quia non potest a ratione impedi, vel cohiberi, facta enim perditione humidi, necesse-

**A** se est animal famescete. Si agit in talibus potest esse vitium gula, uel luxuria, hoc non est, ut tales motus sunt puri naturales: sed ut aliquo modo subiaceant imperio rationis, prout in 7. questione patet. Et per hoc potest patere solutio ad tertium. Quia si aliqui motus in nobis terminantur ad naturam: tales tamen motus, ut sunt solū naturales, nec sunt meritior, nec demeritor. Sed, ut circa tales motus negotiatur ratio, potest ibi esse meritum, & demeritum: ut si utamur cibo eo modo, quo dictat ratio, meremur: si contra rationem, demeremur, sicut & in coitu possunt conjugari meriti, si hoc agant ratione prole procread, ut per eam seruiatur Deo, uel ratione debiti reddendi.

Ad quartum dicendum, quod circa idem possunt versari ratio inferior, & sensualitas. Quia ratio inferior potest consentire sensualitati, & delectari in eo, quod suggerit sensualitas: nec tamē erit propter hoc eadem potentia haec, & illa, nec erit eadem delectatio utriusque. Potest enim unus, & idem homo delectari utraque delectatione sensualitatis, & rationis inferioris, & erit alia, & alia delectatio utriusque.

Ad quintum dicendum, quod circa idem possunt operari sensualitas, ratio superior, & inferior, Nam circa id, quod sensualitas suggerit, potest ratio inferior delectari, & ratio superior cōsentire in opus. Ad formam autem arguendi, quod ratio inferior intendit temporalibus administrandis, superior æternis consulendis. Dici debet, quod hoc non arguit, quod superior, & inferior non possint versari circa id: sed, quod per alias rationes uel per alias leges habet moueri ratio superior, & inferior.

**C**Quia inferior mouebit per leges, uel per rationes, sumptas ex administratione corporis, vel ex rebus temporalibus, ut seruiunt corpori: sed ratio superior mouebitur per rationes diuinās, & per ea, quae sumuntur ex parte Dei. ut si ratio inferior cōsentit, quod moderatè alatur corpus, quia hoc expeedit corpori, ratio superior poterit illud idē imperare: quia hoc est fīm legem Dei. Deus, n. vult, quod nemo carnem suam odio habeat: sed nutrit, & foueat eam. Ratio ergo inferior etiā, ut ordinata, regulabitur per scientiā, quae est de humanis. Ratio uero superior per sapientiam, quae est de divinis, ut supra patuit per Aug. Et si ista sunt ordinata, & rationabilia, non aliud iudicabit lex humana, & lex diuina. Possunt etiam sumi aliae rationes hic, & si de scientiā, quia rationes humanæ magis innuntuntur sensibus: diuinæ uero magis reuelationibus. Illud enim, quod Philosophi dixerunt per humanam inuentionem, dixerunt Prophetæ, & Sancti per diuinam reuelationē: secundū utraque enim rationem superiorem, & inferiorē potest esse meritū, & demeritū: quia ratio inferior potest deuiare à scientia, & ratio superior à sapientia. Potest, n. ratio inferior delectari in his, quae sunt contra rationes sumptas ex sensibus, & potest ratio superior imperare, quod est cōtra reuelationem diuinam, & cōtra Scripturam sacram.

Ad sextum dicendum, quod delectari, quod attribuitur rationi inferiori, & consentire in opus, quod

Iacobi 1.

quod attribuitur rōni superiori nō propriè sunt  
sunt distinctorum, huius, & illius: sed magis cau-  
santur ex dicta distinctione, quia semper id, quod  
est superior, respicit ulteriorem, & uniuersalior-  
ē finem, & ex hoc imperat opus. Id autē, quod  
est infelius, respicit magis particularē finem, uel  
respicit aliud, quod est circa finē, & p̄ quod indu-  
citur finis, uel per quod inducit opus. Cū ergo  
sensualitas suggestit aliquid illicitū, si rō inferior  
delectetur circa istud, est magnū inductiuū, ut rō  
superior cōsentiat in opus, qđ si fiat, erit cōsuma-  
tū peccatū. Ista, n. sumpta sunt, prout quilibet se-  
fibiliter experitur in seipso: quia prima per sc̄ua-  
litatē suggestur homini illicita, qđ si statim re-  
sistat illis suggestionibus, si est aliquale peccatū,  
est leuissimū, & sine cōparatione plus est ibi me-  
ritū, qđ demeritū. Debemus, n. fm Iacobū, omne  
gaudiū existimare, cū in tētationes varias incidi-  
mus. Quod verū est, si statim illis tētationibus re-  
sistamus: sed aliquā nō resistimus eis, sed delecta-  
mur in eis, etiā ante, quām cōsc̄iam in opus: &  
ultimo, aliquā nō solū delectamur, sed etiā cōsen-  
timus in opus. Cogitare autē, & delectari in cogi-  
tationibus illis pōt fieri cum quodā impetu, ideo  
suggestio sensualitatis & delectatio rationis infe-  
rioris sine deliberatione fieri possunt: sed consen-  
sus in opus, quod pertinet ad rōnē superiorē; sē-  
per aliquā libertatē habet. Ad formā autē arguē-  
di, qđ eius est delectari, & consentire in opus; Di-  
cit pōt, qđ delectatio semper sequitur ad aliquod  
opus quod p̄s̄tialiter habet esse in nobis. Nul-  
lus, n. delectatur nec de p̄teritis, nec de futuris,  
nisi inquantū cogitat principaliter de eis. Ad illā  
ergo p̄s̄tialē suggestione, in qua delectatur  
sensualitas, uel appetitus sensitivus, pōt delectari  
ratio inferior, & pōt consentire in illud opus rō  
superior: & nisi delectetur rō inferior, non esset  
parata ad consentiendū ratio superior. Delecta-  
ri ergo, & consentire in opus potest esse eiusdē,  
& nō eiusdem: quia delectari potest pertinere ad  
sensualitatem, quae est distincta ab utraque ratione,  
pōt etiā cōpetere rōni inferiori, cui delectationi  
fortè nō consentiet ratio superior, sed obuiabit  
ei, eo, qđ sit contra legem Dei, & potest illi delecta-  
tioni, & consentire ratio superior, & imperare,  
vt fiat illud opus.

## ARTIC. II.

*An in sensualitate possit  
esse peccatum.  
Conclusio est affirmativa.*

D.Th. 1.2.q.74.art.3. & 4. Et 2. Sent. d. 2.4.q.3.art.2.  
Et de Ver. q.25.art.5. Et de Malo q.7.art.6.

Idem infra  
4.3.1.

E C V N D O quæritur, vtrum in sen-  
sualitate possit esse peccatum. Et vi-  
detur, qđ non, quia nulli debet impu-  
tari peccatum, quod non est in pa-

## Pars II.

A testate eius. Sed motus sensualitatis non sunt in  
potestate nostra, cum p̄cedant deliberationē  
rationis, ergo in talibus non potest esse peccatū.

Præterea cum bruta nō dicantur peccare nec  
committere aliquid culpabile, ergo per id, quod  
est commune nobis, & brutis, non competit no-  
bis peccare: sed in sensualitate conuenimus cum  
brutis, ergo &c.

Præterea secundū Aug. in de vera Religione, Tomo 1.  
Omne peccatum est voluntarium, quod si non  
est voluntarium, desinit esse peccatū. ergo omne  
peccatum erit in uoluntate. Nam hoc est volun-  
tarium, quod voluntas vult. Velle autem non  
nisi in voluntate esse potest. Sed cum sensualitas  
sit potentia distincta à uoluntate, ergo &c.

Præterea quod est purē naturale alicui poten- Tomo 5. es-  
tiā, non potest esse peccatum: sed ferri in delecta-  
bilia est purē naturale sensualitati, ergo &c.

I N C O N T R A R I V M est Augustinus in de Ci- Tomo 5.  
uit. Dei, qui vult, qđ nonnullum vitium fit, cum  
caro concupiscit aduersus spiritū, & spiritus ad-  
uersus carnem: sed ibi caro stat pro sensualitate,  
ergo in sensualitate potest esse peccatum.

Præterea 15. de Ciuit. Dei, exponēs illud ver Tomo 5.  
bum: Nō regnet peccatum in vestro mortali cor Rom. 6.  
pore; vult, qđ in mēbris nostris. i. sensualitate no-  
nā regnat peccatum, quod est p̄œna peccati.

Præterea Magister in littera vult, qđ in sensua-  
litate potest esse peccatū veniale, tamē leuissimū.

## R E S O L V T I O .

C In sensualitate peccatum esse non potest, quantum  
ad aetū omnino primos: sed quantum ad aetū  
secundo primos non item. Hinc ueniale dicitur,  
si indicium rationis ipsi p̄cedant: Mortale ne-  
rō, si ex p̄terito consensu sequantur.

R E S P O N D E O dicendum, qđ vt ait, Apo- Rom. 6.  
stolus ad Romanos: Video aliam legem in mem-  
bris meis repugnantem legi mentis mē, & ca-  
ptiuantē me in lege peccati. Cum ergo lex mem-  
brorum pertineat ad sensualitatem: oportet, qđ  
in ipsa sensualitate habeat esse peccatum: sed hu-  
iūmodi peccatum, ut patuit per Augustinū, est  
p̄œna peccati: quia est p̄œna peccati primi Pa-  
rentis, uel inficta nobis à primo Parente. Nam  
si primi Parentes non peccassent, suissemus nati  
cum originali iustitia, per quam nihil insurrexit  
in carnē, quod repugnasset legi mentis, vel  
dictamini rationis. Nunc autem nascimur, non  
cum originali iustitia: sed cum originali culpa,  
& licet ista originalis culpa dimittatur in baptis-  
mo: non tamen ita dimittitur, qđ restituatur nō  
bis originalis iustitia: sed conferitur nobis gratia  
gratū faciens, per quam possumus mereri vi-  
tam aeternam. Fuit enim dāta Adæ originalis iu-  
stitia, vt stando in illa, perueniret ad vitam aeternam,  
vel perueniret ad illam vitam, quae nō pos-  
set mori. Poterat enim non mori, & si stetis-  
set in sua rectitudine, de posse non mori suisset  
translatus ad non posse mori, j quae est felicitas,  
quam

quam expectamus. Per baptismum ergo non restitutur nobis originalis iustitia, ut per illam perveniamus ad uitam æternam, sed confertur nobis gratia gratum faciens, per quam possumus uitam æternam mereri, quæ quantum ad metitum præualet originali iustitiæ. Ut si quis vellet transire flumen, teneretur habere nauem: sed posset quis absoluī ab hoc debito habendi nauem, transeundo absque nave, ut puta si super aquam siceret pons: quia tunc melius posset per pontem transire aquam, quam per nauem. quia omnes, ut nascimur, filij Adæ nascimur; cum hoc debito, quod tenemur habere originalē iustitiam: quia hoc modo Adam debbat consequi salutem, stans in originali iustitia. Nos ergo, ut filij Adæ, tenemur habere originalē iustitiam. In baptismo uero absoluimur ab hoc debito sine originali iustitia: quia datur nobis gratia baptismalis, quæ est gratia gratum faciens, quæ est ad transeundum aquam harum procellarum, uel saltē ad merendam uitam æternam est potior, quam originalis iustitia, ut est per ante habita manifestum. Et quia non restitutur nobis originalis iustitia. Semper vivimus cum rebellione carnis, & cum lege membrorum repugnante legi mentis, uel legi rationis. & quia ista rebellione carnis, licet sit pena peccati, est etiam peccatum: ideo oportet nos dicere, quod primi motus, qui pertinent ad sensualitatem, & oriuntur ex rebellione carnis; non solum sunt pena peccati, sed etiam sunt peccatum.

*Motus primi quo modo sunt naturales, & quod modo non.*

Propter argumenta tamen sciendum, quod huiusmodi primi motus, uel sunt sine imaginatione, uel cum imaginatione; si sine imaginatione, sic sunt purè naturales, nec sunt in potestate nostra, nec dicuntur ibi esse peccatum, ut euacuatio ventre, oportet hominem famescere, & nobis dormientibus, & nihil somniantibus, uel nullis phantasmatibus nobis apparentibus, potest insurgere caro. Tales ergo motus quia sunt purè naturales peccatum esse non posset: licet possint esse inductui ad peccandum, quia euacuatio ventre potest quis inordinate appetere cibum, & insidente carne, potest quis inordinate appetere venerea.

Propter quod distinguunt aliqui, quod est dare motus omnino primos, & motus secundo primos. Motus primò primi, vel omnino primi pertinent ad naturam, & sunt ex qualitatibus actiuis, & passiuis: ut euacuatio uentris, & carnis insurrecio. Motus autè secundò primi sunt ex imaginatione præcedente, & pertinent ad appetitum sensitium, & in talibus potest esse peccatum, uel ueniale, uel mortale. Habent enim se huiusmodi motus dupliciter. Quia aliquando præcedunt iudicium rationis, & tunc peccatum sunt veniale, & habent rationem peccari: quia, possunt per rationem impediri, & si non potest ratiō omnes impedit generaliter, potest impedit hunc, & illum specialiter. Propter quod dicit Magister in littera, ibi esse peccatum levissimum: ipso si talibus motibus resistatur per

A rationem, ut supra diximus, longè plus est ibi de merito, quam de demerito. Iuxta illud Hieronymi: Non est possibile non irruere motum in sensum hominis medullatum calore: sed ille laudatur, ille prædicatur beatus, qui statim, cum incœperit cogitare, interficit cogitatus, & allidit *Psal. 136.*

paruos suos ad petram: tales enim cogitatus cum sunt paruuli, debeteis per rationem obuari, & debent allidi ad petram: Petra autem erat Christus. sic ergo loquendum est de talibus motibus sensualitatis, cum præcedunt iudicium rationis. Sed aliquando sequuntur rationis indicium, ut cum quis consensit in opus illicitum, & post talem consensum insurget caro, talis insurrecio carnis potest esse peccatum mortale.

*Virtutes, & virtus ponuntur in irascibili, & in concupiscibili, que pertinent ad appetitum sensituum, & sunt partes appetitus sensitini.*

Nam temperantia, & intemperantia ponuntur in concupiscibili: fortitudo, & timiditas in irascibili.

R E S P. A D A R G. Ad primum dicendum, quod motus sensualitatis sunt in potestate nostra: quia, ut patebit in questione sequenti: &, ut vult Philosophus in *t. Ethici. Appetitus sensitius, & si non est rationalis per essentiam, est rationalis per participationem: quia est aptus, natus obediens rationi. Et si dicatur, quod tales motus præcedunt iudicium, & imperium rationis, potest responderi, quod ex hoc non arguitur, talia non esse peccatum: sed non habere perfetè rationem peccati.*

C Ad secundum dicendum, quod licet sensualitas sit communis nobis, & Brutis: tamen Bruta quia carent ratione, sensualitas in eis non est apta, nata obediens rationi: & ideo dicuntur non peccare, ut hic de peccato loquimur. Accipitur enim hic peccatum pro qualibet obliquitate à ratione, uel à dictamine rationis. Sed in homine, qui est ratione præditus, sensualitas est apta nata rationi obediens, ut ex hoc in ipsis motibus sensualitatis possit esse peccatum.

Ad tertium dicendum, quod omne peccatum est voluntarium: sed esse voluntarium est duplicitè, perfectè, & imperfectè. Primi autem motus sensualitatis sunt voluntarij, saltem imperfectè, in quantum voluntas quemlibet eorum potuit impeditre.

D Ad quartum dicendum, quod in Brutis talia possunt dici purè naturalia: sed in homine, qui secundum Philosophum magis est intellectus, *Homo magis intellectus, & in quo omnia, quantum possibilis, est sicut ratione regulada naturale est sensualitatis, quod feratur in delectabilia secundum frānum rationis. Propter quod, si contrarium fiat, erit ibi peccatum.*

## ARTIC. III.

*An sensualitas sit apta, nata  
rationi obedire.*

*Conclusio est affirmativa.*

D.Th. i. p.q.8 t. art. 3. Item 12. q.17.art.7. Et q.5 o.art.2.  
Et q.5 6.art.4. Et de Ver. q.52.art.4.

**E**RTO queritur de sensualitate: Vtrū sit apta, nata obedire rationi. Et videtur, q̄ nō. Quia, vt dicitur ad Romanos: Video autē aliam legē in membris meis repugnantē legi mētis meæ. Sed ista lex membrorum est sensualitas, vel est appetitus sensitivus. Lex autem mentis est lex rationis, ergo sensualitas est apta, nata repugnare rationi. sed non videtur, q̄ illud quod ap̄ tum, natum est repugnare rationi, sit aptum, natum obedire, ergo &c.

Præterea illud est aptū, natū obedire rationi, quod est in potestate nostra, & quod regitur fīm voluntatem nostram: quia, vt dī in 3. de Anima. Intellectus quidem non vñ mouens sine appetitu. Sed motus sensualitatis non sunt in potestate nostra, nec regularitut fīm voluntatem: quia, vt dicitur ad Romanos: Non enim quod volo bonum hoc ago, sed quod malum odio, illud facio: & quia ista dicta sunt propter motus, & impetus sensualitatis, ergo &c.

Præterea quæ sunt naturalia non obediunt rationi: sed sensualitas mouetur naturaliter in suū obiectum, & eius impetus videntur esse naturales, ergo &c.

Præterea sicut est in potentijs cognitiuis: ita suo modo est in potentijs appetitiuis: sed in parte sensitiva est dare potentias cognitiuas & appetitiuas, & in parte intellectua est dare utraque potentia; Si ergo appetitus sensitivus esset subiectus appetitui intellectui; sensus esset subiectus rationi: sed hoc est falsum. Quia uidemus & audiimus, non, ut ratio dicat: sed, ut sensibilia se offerunt. ergo nec appetitus sensitivus erit subiectus appetitui intellectui, nec etiam rationi, cum ratio, ut patuit per Philosophum, non moueat sine uoluntate.

IN CONTRARIUM est, Damasc lib. 2. c.12. Qui vult, quod obediens rationi diuidatur in concupiscentiam, & iram. i in concupiscibilem, & irascibilem: sed concupiscibilis, & irascibilis dicunt ipsum appetitum sensitivum, siue ipsam sensualitatem, ergo &c.

Præterea Philosophus vult, q̄ irascibilis, & concupiscibilis sunt rationales per participationem: quia sunt aptae natæ obedire rationi, ergo &c.

## Pars II.

## A R E S O L V T I O.

*Potentia irrationalis non nisi indirecte subiacet rationi, rationales uero directe, sed incomplete. Hinc ex eis peccatum mortale nasci non potest ex suo ipsis motu: mortale autem ex imperio rationis, cuius nomen per essentiam intellectui adscribitur, & voluntati.*

RESPONDEO dicendum, q̄ circa hāc materiā in idē incident Philosophi, & Doctores nostri. Nam Philosophus, distinguēs potentias animæ, Eth. i. cap. 10.

dicit alias esse rationales, alias irrationales. & irrationales distinguit: quia quædā aptæ natæ sunt obedire rationi, ut irascibilis, & concupiscibilis, & quædam non, sicut est nutritiua, & augmentatiua, & talia. Sic etiam Damasc. lib. 2. c. 12. ait. q̄ irronaliū duq̄ sunt partes: hāc quidē inobedient rōni, quæ non suadet rōne: illa uero obediens, & persuasibilis ratione: Inobedient quidē, & quæ nō suadet ratione est Zodiacū. i. uitale, uel pulsarium, generatiuum, plātatiuū. i. nutritiuū, & augmentatiuū. Obediens uero, & persuasibilis ratione diuiditur in concupiscentiā, & irā, quæ est pars animæ passiua, & appetitiua. Appetitus ergo sensitivus, qui diuiditur in concupiscentiā, & irā. i. concupiscibile, & irascibile, ut patet per Dam. & Philosophū, est aptus, natus obedire rōni, & est persuasibilis rōne. Sed Zodiacū. i. vitale, quia Zoe, Zōi in Græco, idē est, quod vita in latino, & vitale est idē, qđ pulsarium. Nā sicut motus celi, vt dī in 8. Physi, est vita in entibus: quia ab illo motu sunt omnes alii motus, sic motus cordis est vita omnium membrorum: quia ab illo motu est motus in omnibus membris: Verē ergo pulsationes habēt hoc efficere per motū cordis & pulsus causati à corde. Nā non, ut uolumus, & ratio dicit, habemus pulsū uelocem uel tardū: sed hoc est in nobis, ut requirit qualitas, & natura corporis. Et sicut Zodiacum. i. pulsarium non obedit rationi, sic plantarium. i. nutritiuū, in quo conuenimus cum plantis, & augmentatiuū, & generatiuum nihil faciunt pro ratione considerata secundum se: possunt autem facere proportionē, prout subiacent actibus exterioribus: quia in potestate nostra est hunc actum exteriorē efficere, qui est manducare, uel non manducare. Et si homo non manducaret, non nutritur, nec augmentaretur, nec etiam esset illud superfluum alimenti, &, ex quo fit semen, & per quod fit generatio. Etiam abstinentia ab alimento qualificaret corpus, & fieret uelocior pulsus. Propter quod ipsum Zodiacum, & ipsum pulsarium aliquo modo subiacet actui exteriori. Zodiacum ergo, nutritiuū, & generatiuum secundum se, non sunt in potestate nostra, ne obediunt rationi: sed, ut subiacent actibus exterioribus, de hoc quodammodo indirecte possunt esse in potestate nostra, & subiacere rationi. Potentiae ergo animæ tristariam diuiduntur i. quia quædā sunt rationales per essentiam, quædā per participationē, quædā sunt simpliciter rationales, & inopere.

Potentiae rationales per essentiam, & per participationem.

Potentiae autem rationales per essentiam fuit intellectus, & voluntas. Dicitur autem voluntas rationalis per essentiam, quia essentialiter est appetitus sequens rationem. Potentiae autem rationales per participationem sunt concupisibilis, & irascibilis. Potentiae autem simpliciter irrationales sunt pulsarium, nutritium, augmentarium, & generarium. Aduertendum tamen quod potentiae simpliciter irrationales indirecet, vt subiacent actionibus exterioribus, subiacent rationi: Potentiae autem rationales per participationem subiacent rationi directe, sed incompletè: & quia potentiae rationales per participationem incompletè subiacent rationi; ideo in eis ex proprio motu non potest esse perfectè ratio peccati, vel non potest ibi esse peccatum mortale. Ideo Magister in littera de tali peccato loquens, dicit ipsum esse veniale, & leuisimum. Dicimus autem ex proprio motu, quia ex imperio rationis, vel ex consensu rationis in opus posset in viribus inferioribus esse peccatum mortale.

## D V B. I. L A T E R A L I S.

*An probare possumus, sensualitatem esse aptam rationi ordine.  
Conclusio est affirmativa.*

Idque sex modis.



L T E R I V S fortè dubitaret aliquis, per quæ possumus aduertere, & probare, quod sensualitas sit apta nata obedire rationi; Dicendum, quod sex modis possumus ostendere hoc esse verum. Primo, vt homo comparatur ad bestias. Secundo, vt comparatur ad vitia, & virtutes. Tertio, vt comparatur ad parentes, amicos, & notos. Quartò, vt comparatur ad rationem. Quinto, vt comparatur ad voluntatem. Sexto, vt comparatur ad motus exteriores.

Prima via sic patet. Nam August. super Gen. Dat differentiam inter bestias, & hominem, quia bestia præsente concupisibili non potest nō concupiscere. sed homo etiā præsente concupisibili, potest non concupiscere, cuius causa secundum eum esse videtur, quia homo est rationalis, bestia irrationalis. In potestate enim hominis est repellere, & abhominari concupisibile. non est autem hoc in potestate animæ bruti. Si ergo ex ratione contingunt ista: oportet, quod concupiscentia in homine, & sensualitas in eo sit apta, nata obedire rationi.

Tomo. 3.  
lib. 11.

Secunda via ad hoc idem sumitur: prout homo comparatur ad virtutes, & vitia. Nam Philosophus in 2. Ethico. quærens: Vtrum naturaliter sint virtutes in nobis; ait, quod nec natura, neque præter naturam insunt virtutes, sed innatis quidem nobis suscipere eas, perfectis autem per assuptionem. Ergo secundum eum innati sumus, vel apti, nati sumus habere virtutes,

A sed non habemus eas perfectè nisi assuecamus ad illas. Sed cum secundum eundem Philosophum idè virtus sit habitus electius in mediocritate consistens: prout sapiens, vel prout recta ratio iudicabit. quia ratio ponitur in diffinitione virtutis; in nulla vi, vel in nulla potentia animæ habet esse virtus, nisi illa sit apta nata obedire rationi, & quia in concupisibili ponitur Temperantia, quæ est virtus, & in irascibili Fortitudo: oportet, quod sensualitas, cuius partes sunt irascibilis, & concupisibilis, sit apta nata obedire rationi.

B Tertia via ad hoc idem sumitur, prout homo comparatur ad parentes, & amicos, & notos. Nam a talibus increpatur homo, si non sic moderatur in passionibus sensitivis, vt si nimis vinclatur concupiscentijs, & si nimis moueat ad iram. Et laudatur, si in talibus moderatè se habeat. Frustra enim escent, secundum Philosophum, increpationes, & laudes, si non posset quis per rationem se moderare in talibus passionibus. Oportet ergo, quod sensualitas, vbi habent esse sensitivæ passiones, sit apta nata moderari, & obedire rationi.

C Quarta via ad hoc idem sumitur, prout homo comparatur ad rationem. Nam vt dicitur circa finem primi Ethic. \* Rectè enim, & ad optimam deprecatur ratio, quod dupliciter fit, vel proponendo mala, quæ consequimur ex vitijs, vel proponendo bona, quæ consequimur ex virtutibus. Iuxta illud: Memorare nouissima tua, & in eternū nō peccabis. Eccl. 7. Si consideremus nouissima nostra, quanta gloria in die iudicij erit bonis, & quanta confusio malis, quia illi rationaliter vixerunt, & fuit rationale eorum observandum, computabantur inter filios Dei: Hi autem, quia irrationaliter, non intelligentes comparati sunt instrumentis insipientibus; semper studeremus per rationem vincere passiones nostras, etiam sensitivas. quod fieri non posset, nisi talia escent apta nata obedire rationi.

D Quinta via ad hoc idem sumitur, prout homo comparatur ad voluntatem. Nam secundum Philosophum in 3. de Anima. Illi duo appetitus: sensitivus, & intellectivus se in unicem in orientem sicut rotam rotam, vel sicut sphera spharam. Secundum enim naturam est, quod sphera superior reuoluit speram inferiorem, & peruersus esset ordo, si inferior reuolueret superiorem. Et ideo mali sequentes appetitum sensitivum dicuntur habere animam peruersam, quia peruersus est est ordo, quod appetitus sensitivus, qui se habet, ut sphera inferior, reuoluit appetitum intellectivum, qui se habet, ut sphera superior. Rectus ergo ordo est, quod sensualitas sequatur rationem, non econuerso. quod non esset, nisi apta, nata esset rationi obedire.

Sexta, & ultima via sumitur ex eo, quod homo comparatur ad actus exteriores. quia quantumcunque insurgant passiones: procedere tamen in opus secundum passiones illas, totum est in potestate nostra. Et voluntas nostra, quæ est apta, nata regulari per rationem, potest progredi in opera exteriora, & non progre-

Aegid. super ij. Sent. A a di,

Eth. 2. c. 5. 6

Eth. 1. c. viii.  
\*Hic pōt da  
ri exemplū  
de Rustico  
ramum mi  
ridēm oui  
ostendēt:  
& de Matre  
poma pue  
ro mōstran  
te. Idem in  
fra d. 25. q.  
1. ar. 5. dub.  
1. Lat. & d.  
39. q. 1. art. 3

Eth. 48. 19.

di, secundum quod sibi placet. Omnia ergo talia, prout sunt in potestate nostra, sunt apta, nata per rationem regulari. Nam si non possumus progredi in opera exteriora sine voluntate, & sine ratione ostendente obiectum voluntati: oportet, quod ipse passiones inclinantes nos ad opera exteriora per rationem, habeant regulari, & si non necessitamus, ut sequamur rationem: Tamen cum simus rationales sumus apti, nati rationem consequi. Ideo vult Dam. quod virtutes sunt secundum naturam, vitia contra natu-

R E S P. A D A R G. Ad primum dicendum, quod argumentum arguit, quod difficile est per rationem regulare passiones, sed non arguit, quod sit impossibile, &, quod non sit sensualitas apta, nata rationi obedire. Vel possumus dicens, quod argumentum arguit, quod sensualitas secundum se contrariatur rationi: vel ut non est refracta per rationem, contradicit rationi; sed refracta per rationem, obsequitur rationi. & propter hoc virtus est circa bonum difficile, non circa bonum impossibile, & quia virtus habet esse se immediate secundum rationem, oportet, quod ratio moderetur, & inueniat medium tam in passionibus sensitivis, quam in alijs, que sunt in potestate nostra. Et per hoc potest patere solutio ad secundum, quia ratione difficultas, quae est in talibus, ait Apostolus: Non enim, quod volo bonum hoc ago, sed malum, quod odio, illud facio. Loquitur autem in persona incontinentium, qui licet eis displiceat male facere: vieti tamen passionibus malefaciunt. Nō, quod eis sit impossibile passiones vincere, sed nolentes contra passiones bellare non vincunt passiones, sed vincuntur ab eis.

Ad tertium dicendum, quod in brutis est naturale simpliciter tendere in delectabilia secundum sensum. In hominibus autem, quia sunt rationales, est naturale tendere in delectabilia secundum rationem. & ut melius appareat, quod dicitur, dicere possumus, quod secundum Philosophum, Natura dicitur de materia, & de forma, sed magis dicitur de forma, quam de materia. Vitia ergo si aliquo modo possunt dici naturalia, hoc est solum secundum naturam materialē, ut quia aliqui habent corpus, & complexiōnem magis dispositam ad hoc vitium, quod est gula, ita aliqui ad aliud vitium, quod est luxuria, sed nunquam vitia in homine possunt esse naturalia secundum naturam formā: Nam cum forma hominis sit anima rationalis, naturale est in homine secundum naturam formā, vt omnia agat secundum rationem. Et quia forma magis dicitur natura, quam materia, magis est naturale in homine agere secundum rationem, quam agere secundum passionem. Argumentum ergo magis concludit propositum, quam oppositum.

Ad quartum dicendum, quod secus est de potentij cognitiuis, & appetitiuis quantum ad sensum, quia sensu sunt in nobis sufficienter determinati per naturam, nec acquiruntur ex actibus,

Rom. 7,

2. Phys. t.c.  
12. 31.

A sed in potentij appetitiuis sensitivis acquiruntur virtutes, & vitia ex actibus. Ut si stant huiusmodi actus secundum rationem, simus virtuosi: si contra: vitiosi. Quod non esset, nisi sensualitas esset apta, nata rationi obedire. Est enim sensualitas communis nobis, & brutis, sed, ut est in nobis, est rationi coniuncta, & debet esse rationi supposita: non autem, ut est in brutis.

## ARTIC. IV.

*An sensualitas naturalius secundum impetum, quam per fratum rationis moueat?*

*Conclusio est negativa.*

Vide Doct. supra citatos. Et Ric. d. 24. q. 17.

 V A R T O quæritur. Vtrū naturalius sit sensualiti moueri secundum impetum, vel secundum frānum rationis. Et videtur, quod naturalius sit illi moueri secundum impetum. quia naturalius est, quod competit alicui secundum se, quam, quod competit ei secundum aliud. sed moueri secundum impetum competit sensualiti secundum se. Moueri autem secundum frānum rationis competit sensualiti, ut comparatur ad aliud, i. ad rationem, ergo &c.

Præterea naturalius videtur, quod competit alicui secundum naturam, quam, quod competit secundum habitum. cum habitus sit quoddam additum naturæ. sed moueri secundum impetum competit sensualitati ex natura: moueri autem secundum frānum rationis competit ei ex habitu, ut ex habitu temperantiae mouemur temperante secundum rationem: ex habitu fortitudinis mouemur ad fortia, ut ratio dictat: ergo &c.

Præterea illud videtur esse magis naturale, quod plures sequuntur. sed plures sequuntur impetum, quam rationem, quod non esset, nisi moueri ex impetu esset nobis magis naturale secundum sensualitatem, quam moueri ex ratione.

D Præterea sicut se habet ex parte intellectus, ita suo modo se habet ex parte appetitus. sed naturale est intellectui, quod nascatur nudus ergo naturale est appetitui, quod nascatur nudus. sed appetitus nudus, & maximè appetitus sensitivus mouetur secundum impetum, non secundū rōnē, ergo &c.

Præterea secundum Apostolum: Natura nascimur filij ire: sed non sumus filij ire, inquantū mouemur secundum rationem. Ergo naturale est nobis, ut mouemur secundum impetum.

I N C O N T R A R I V M est, quia ille motus est naturalior, qui magis competit naturæ institutæ, quam qui magis competit naturæ corruptæ. sed in natura instituta semper sensualitas fuisset mota secundum rationem: & nūc in natura corrupta mouemur secundum impetū. ergo &c.

Præterea

Eph. 2.

Præterea si esset homini simpliciter naturale moueri secundum impetum, nunquam posset assuecere ad contrarium, quia lapis si millies feratur sursum, nunquam assuecitur ad talē motū. Cum ergo homo assuefiat ad agendum secundum rationem, oportet, quod aliquo modo sit ei naturale sic agere.

## R E S O L V T I O.

*Naturalitate materia naturalius est sensualitati moueri ex impetu, quam ex rationis fræno.*

*Contra verò naturalitatem formæ. Id quod conuenientius sensualitati adscribitur.*

RESPOND E O dicendum, quod, ut potest patere per habita, dicitur aliquid naturale, vel ex natura materiæ, vel ex natura formæ. Cū ergo queritur: Vtrum magis sit naturale sensualitati moueri secundum rationem, vel secundum impetum; si loquamur de naturalitate secundum formā, cum forma hominis sit anima rationalis, magis est naturale etiam sensualitati moueri secundum rationem.

Sed fortè dices, quod homines eriam ex parte materiæ aliqui sunt complexionati ad opera virtutum, quia aliqui sunt naturaliter mansueti, aliqui naturaliter casti. Ergo etiam ex parte materiæ, & ex parte complexionis nō debemus simpliciter concedere, quod naturalius sit nobis moueri secundum impetum, quam secundum rationem, cum opera virtutum sint opera secundum rationem. sed hæc obiectio non concludit intentum, quia etiam illi, qui naturaliter sunt complexionati, vt si sint mites, vel, ut sint casti: vt agunt ex complexione, non agunt ex ratione: sed ex impetu, vel ex passione, quia sic habent complexionatum corpus, vt displiceat eis ira, vel luxuria. nam si ex ratione hoc agerent, hoc non esset ex complexione, sed ex assuefactione ad ea, quæ sunt secundum rationem. quandiū ergo dicimus aliqua fieri ex complexione, vel dicimus, quod aliquis sic agit, quia sic est complexionatus, vel dicimus, quod sic agit, quia sic est passionatus.

Potest tamen contingere, quod ad illud idem, ad quod habet aptam complexionem, habeat assuefactionem. & potest contingere contrarium, quia aliquando aliquis ex complexione est castus. & ex assuefactione venereus. & in talibus plus est assuefactio, quam complexio, quia facilius continebit, qui est castus ex assuefactione, quam qui ex complexione, vt supra in ante habitis dicebatur.

Reuertamur ergo ad propositum, & dicamus, quod dupliciter potest esse aliquid naturale: Ex natura materiæ, vel ex natura formæ. Si ergo loquimur de naturalitate materiæ, magis est naturale sensualitati moueri ex impetu. Sed si loquimur de naturalitate formæ, magis est ei naturale moueri secundum frænum rationis. Verum quia quæstio querit, quod est naturalius sensua-

litati, an moueri ex impetu, an secundum frænum rationis. Ideo videtur, quod hæc quæstio querit, quod sit naturalius rei. An quod conuenit ei ex natura materiæ, an ex natura formæ. Ideo dicere possumus, quod est naturalius rei, quod competit ei ex natura formæ, quam ex natura materiæ. quod triplici via declarari potest.

Vt prima via sumatur ex eo, quod ratione naturæ magis competit formæ, quam materiæ. Secunda ex eo, quod magis competit ei ratio superioritatis. Tertia ex eo, quod magis competit formæ ratio totalitatis.

Prima via sic patet: nam licet natura dicatur de materia, & de forma. Tamen hoc nomen

2. Phys. 12.

B natura magis competit formæ, quam materiæ: Immo non competit materia, nisi per formam,

3. Met. 1. c. 5

vt declarari habet in 5. Meta. c. de Natura. Propter quod Commen. vult ibidem, quod natura simpliciter dicitur de forma, quoniam omnes homines non denominat, in quod generandum est, quod habeat naturam antequam habeat formam, & secundum Commen. ibidem, est simile quatum ad hoc de naturalibus, & de artificialibus. Nam artificiale non dicitur tale, antequam habeat formam talis, ut sciamnum non dicitur antequam habeat formam sciamni. Sic & in naturalibus aurum non dicitur aurum ante, quam habeat formam auri. Si ergo materia auri pertinet ad natum auri, hoc est ratione formæ auri. Ergo quia principalius, & magis dicitur natura de forma, quam de materia, principalius, & magis est rei naturale quod competit ei ratione formæ, quam ratione materiæ. Ergo naturalius est sensualitati, vt est in homine, quod mouetur secundum frænum rationis, quam secundum impetum, cū homo reponatur in specie per animam rationalē, tamquam per propriam formam.

Secunda via ad hoc idem sumitur, ex eo, quod formæ magis competit ratio superioritatis. Nam materiæ magis competit ratio fundamenti. Iuxta illud Philosophi in Meta, quoniam in fundamento materiæ nihil est distinctum. Vocat enim ibi fundatum naturæ materiam, vbi sunt res indistincte ante, quam distinguantur per formam. Ergo quia materia se habet, ut id, quod est naturaliter superadditum fundamento: Rō ergo superioritatis attribuetur formæ, inferioritatis materiæ. Et quia quæ sunt a causa superiori sunt magis naturalia: immo dato, quod id, est a causa, vel a natura superiori, contradicit ei, quod est a natura inferiori: Hoc tamen non obstante, id, quod erit a natura superiori, dicitur naturale, propter quod uult Commen.

1. Met. t. e  
17. & 7. Me  
th. t. c. 8.

quod fluxus maris, & refluxus sit naturalis: Cum ergo non possit aqua maris primo fluere, & postea refluxere, nisi ascendat: Non obstante ergo, quod ascendere est contra natum aquæ, aqua maris ascendit naturaliter, quia competit hoc ei a natura superiori, ut a natura cœlesti, vel a corpore lunari, nisi ergo esset magis naturale, quod est a natura

Aegid. super iij. Sent. A a 2 supe-

Auerr. Infa  
de fluxu, &  
refluxu ma  
ris. sed fu  
sus id vide  
in nostro de  
Cometis di  
scursu.

superiori, quām ab inferiori, non diceretur sim  
pliciter naturalis fluxus maris, cum hoc contra  
rietur naturae maris. principaliter ergo est quid  
naturale, quod est secundum naturam superio  
ris, cui & si contrarietur natura inferioris, ad  
huc meretur dici naturale. Sic & in proposito in  
homine est natura inferior, vt sensualitas: & na  
tura superior, vt ratio. Erit ergo principaliter  
naturale, & ex hoc erit magis naturale sensualita  
ti moueri secundum frānum rationis, quām se  
cundum impetum: immo, dato, quōd motus sen  
sualitatis contrarietur motui rationis adhuc erit  
magis naturale sensualitati moueri secundum  
frānum rationis, quām secundum motū prop  
rium.

t.c.90. Tertia via ad hoc idem sumi potest ex eo, q  
natura formæ habet magis rationem totalitatis,  
quām natura materiæ, & maximè in his, ubi for  
ma est ipsa anima. Nam cum continere perti  
neat ad totum, & contineri pertineat ad partē,  
anima, quæ se habet, vt forma, magis continet  
corpus, quod se habet vt materia, quām econ  
uerso, vt vult Philosophus in I. de Anima. Pro  
pter quod ratio totalitatis, & ratio perefctionis,  
quia totum, & perfectum idem, vel proximum,  
secundum naturam magis competit animæ, q  
x. Cœli.73. corpori. Cum ergo idem sit locus totius, & par  
tis, & ex hoc vbi tendit pars, tendit totum, &  
econuerso: tamen hoc principalius competit to  
ti, quām parti: Immo per totum hoc competit  
parti omnino. Est enim naturale, quōd pars imi  
tetur totum, & sequatur naturam totius, non  
econuerso. Et ex hoc verificatur dictum Aug.  
quōd turpis est pars, quæ nō suo toto congruit,  
vel quæ suo non congruit vniuerso. Naturalius  
est ergo parti, quōd sequatur totum, quām se  
ipsam. Naturalius est ergo sensualitati, quōd mo  
ueatur secundum frānum rationis, qui est mo  
tus secundum formam, quām moueat secun  
dum impetum, qui est motus secundum ma  
teriam.

2.Phys.12. R E S P. A D A R G. Ad primum dicendum,  
quōd cum dicitur, quōd naturalius est alicui, qđ  
competit ei secundum se, quām competit ei se  
cundum aliud. Potest responderi secundum om  
nes tres vias tactas, quōd si illud aliud se habet,  
vt quid formale, cum natura magis dicatur de  
forma, quām de materia: vel si illud aliud se ha  
beat, vt quid superius, quia naturale est inferio  
ribus sequi superiora, magis, quām sequi seipsa.  
Vel si illud aliud se habeat, vt totum, quia magis  
naturale est parti sequi totum, quam seipsum;  
Non oportet naturalius esse alicui, quod com  
petit ei secundum se, quām quod competit ei se  
cundum aliud: vel naturalius ei esse moueri se  
cundum se, quām moueri secundum aliud, cum  
naturale sit mari relinquere motum proprium,  
& sequi motum cœli. Sic & in proposito magis  
est naturale sensualitati sequi motum rationis,  
quām motum proprium.

Ad secundum dicendum, quōd non solum ex  
habitu, sed etiam ex natura sensualitas in homi  
ne est apta nata sequi rationem. Sed tamen quod

A faciliter, & delectabiliter sequitur eam, hoc com  
petit ei ex habitu, quia signum generati habitus  
est delectationem, & tristitiam fieri in opere. Vt  
si fiant opera secundum habitum, est ibi delecta  
tio: si contra, tristitia.

2. Eth.c.3. Ad tertium dicendum, quōd licet plures sint  
vitiosi, quām virtuosi: hoc tamen non obstante  
virtus est secundum naturam, vitium contra na  
turam, vt vult Dam.lib.2.cap.30. Et Augu. I I .  
Tomo. 5. de Ciui. vult vitium esse contra naturam. Natu  
ralius est ergo sensualitati sequi rationem, cum  
hoc sit secundum virtutem, quām sequi impe  
tum proprium, cum hoc sit secundum vitium.

Ad formam autem arguendi, cum dicitur,  
quōd plures sequuntur impetum sensualitatis,  
quām motum rationis; Dici potest, hoc ideo  
est, quia plures sequuntur sensum, quām intel  
lectum: tamen hoc non obstante, secundum Phi  
losophum, homo est magis intellectus, quām  
sensus. & vivere secundum rationem intellectum,  
hoc est hominis, vt homo est, sed vivere se  
cundum sensum, hoc est hominis, vt conuenit  
cum bestijs.

Ad quartum dicendum, quōd intellectus  
quantumcunque nascatur nudus, naturale ta  
men est ei tendere in principia. sic appetitus, vel  
affetus quantumcunque dicatur nudus: natu  
rale tamen est ei tendere in finem, quia finis in  
practicis se habet, vt principium in speculativis.  
& quia in hoc motu appetitus etiam sensitivus  
est aptus natus dirigī a ratione: ideo naturale est  
ei sequi rationem.

Ad quintum dicendum, quōd omnes nasci  
mur natura filij ita, sed hoc non est secundum  
naturam institutam, sed secundum naturam cor  
ruptam. quod magis debet dici contra naturam,  
quām secundum naturam: vel hoc non est secun  
dum naturam formæ, quæ principaliter dicitur  
natura, sed secundum naturam materiae, quæ  
non est natura, nisi per analogiam ad formam.

## Q V A E S T. II.

### De peccato, quantum ad ipsam rationem.



O S T E A quæritur de secun  
do principalis, scilicet de ra  
tione. Circa quam querun  
tur quinque. Primò: Vtrum  
in ratione possit esse pecca  
tum. Secundò: Vtrum in de  
lectatione rationis sine con  
fensi in opus possit esse peccatum mortale. Ter  
tiò: Vtrum possit esse peccatum in ratione, qđ  
non oriatur ex sensualitate. Quartò: Vtrum  
in ratione superiori possit esse peccatum venia  
le. Quintò: Vtrum peccatum veniale possit  
fieri mortale.

ART.

# Quæst. II.

## ARTIC. I.

*An in ratione possit esse peccatum.*

*Conclusio est affirmativa.*

D.Th. 1, 2, q. 74, ar. 5. Et 2. sent. d. 24, q. 3, ar. 3.  
D.Bon. d. 24, p. 2, ar. 1, q. 1.

Lib. 3, de A-  
nimis, c. 3.



**DPRIMVM** sic proceditur: videtur, quod in ratione non possit esse peccatum, quia secundum Philosophum in de anima; Intellectus semper est rectus: sed in eo, quod semper est rectum, non potest esse peccatum, ergo &c.

Præterea in tantum aliquid est peccatum, in quantum est contra rationem. Si ergo in ipsa ratione esset peccatum, esset aliquid in ratione, quod esset contra rationem, quod non videtur possibile.

Præterea omne peccatum videtur esse in voluntate: sed voluntas est potentia appetitiva, ratio est potentia cognitiva, ergo &c.

Præterea, quod est mensura, & regula virtutum, non videtur posse in ea esse peccatum, quia tunc virtus posset esse vitium, sed ratio est huiusmodi regula, ergo &c.

**IN CONTRARIUM** est, quia eligere non est sine ratione. Cum ergo electio possit esse recta, & non recta, poterit esse in ratione peccatum.

Præterea sicut est in speculatiis, ita est suo modo in practicis. Sed ratio speculativa, quæ debet esse mensura speculabilium, potest esse recta, & non recta; Ergo ratio practica, quæ debet esse mensura operabilium, potest esse recta, & non recta, & potest ibi esse peccatum.

## R E S O L V T I O .

*In ratione potest esse peccatum, cum electio  
sine ratione esse non  
possit.*

**RE S P O N D E O** dicendum, quod hæc fuit opinio Socratis, ut patet per Philosophum in Ethicis, quod impossibile est scientem, vel sapientem peccare. Dicebat enim esse scientiam, vel sapientiam tantum scutum protegens a peccato, & tantum frænum refrænans peccatum, quod sapiens, vel sciens, peccare non poterat. Propter quod secundum eum omne peccatum erat per ignorantiam. Pro hac autem positione videtur facere, quod omne peccatum est voluntarium, quia secundum Augustinum, si non sit voluntarium, definit esse peccatum. Cum ergo voluntas non moueat nisi a bono appre-

## Artic. I. 281

**A** henso per intellectum, vel per rationem, quia voluntas est appetitus rationalis, vel intellectus, nec potest moueri nisi ab eo, quod ostenditur sibi tanquam bonum, quia malum secundum Dio. 3. de Di. Nom. est præter voluntatem, & præter intentionem. Malum enim in eo, quod malum, non potest esse volitum, nec intentum: propter quod in principio Eth. dicitur, quod omnis ars, omnis doctrina: similiter actus, & elecio bonum quoddam appetere videntur. Propter quod benè annuncianterunt Philosophi difinientes bonum, quod est id, quod omnia appetunt. Si ergo non potest moueri voluntas, nisi ostendatur ei aliquid tanquam bonum, cum peccatum, simpliciter loquendo, sit quid non bonum, non poterit esse peccatum in voluntate, nisi ostendatur ei a ratione, vt bonum, quod non est bonum. Sed hoc esse non poterit sine errore rationis. ergo nunquam poterit esse peccatum, nisi peccans sit ignorans, & nisi sit aliquis error in ratione. Sciens ergo, vel sapiens, vt videtur, peccare non potest. sed haec positio etiam apparentibus contradicit. Nam quantumcunque sciamus omnem fornicationem esse fugiendam: possimus tamen fornicari, scientes fornicationem esse malam. Propter quod dictum est, quod vinum, & mulieres apostatae faciunt sapientem. \*

Eth. 1, c. 1.

Salon. dans hono-  
rem Idolis,  
& sic sapiens,  
peccant in  
ignorantia, no  
ex ignoran-  
tia.

**B** datur ei a ratione, vt bonum, quod non est bonum. Sed hoc esse non poterit sine errore rationis. ergo nunquam poterit esse peccatum, nisi peccans sit ignorans, & nisi sit aliquis error in ratione. Sciens ergo, vel sapiens, vt videtur, peccare non potest. sed haec positio etiam apparentibus contradicit. Nam quantumcunque sciamus omnem fornicationem esse fugiendam: possimus tamen fornicari, scientes fornicationem esse malam. Propter quod dictum est, quod vinum, & mulieres apostatae faciunt sapientem. \*

Eth. 1, c. 1.

**C** vel peccat ex ignorantia, vel peccat ignorans. Ex ignorantia autem sapiens, vel sciens peccare non potest, sed sapiens, vel sciens potest peccare ignorans. Nam potest quis scire omne possum esse dulce, & iudicare pomum esse amarum per deceptionem, sed post ipsum iudicare esse amarum deceptus. vt si quis haberet linguam infestam colera, videretur sibi dulce esse amarum. Sicut ergo inficitur iudicium linguæ propter infectionem colere, sicut inficitur iudicium rationis propter passiones, & propter apprehensionis delectationem, vt iudicet faciendum, quod non est faciendum: semper igitur est ibi aliqua ignorantia. Sed distinguunt Philosophus de ignorantia in 7. Eth. quæ \* ignorantia simul stat cum scientia, quia potest quis esse sciens simpliciter, &

Eth. 7, c. 3.

**D** ignorans in retractando, quia vel potest quis esse sciens in habitu, & ignorans in actu, quia potest ille habitus esse actu ligatus, uel potest quis scire in habitu, & ignorare in actu, quia potest ille habitus scientiae esse ligatus per actum in habitu, vel potest quis \* scire in universalis, & ignorare in particulari. Omissio ergo, cum quis peccat per ignorantiam, quia sic peccans non est sciens, & ignorans, sed est simpliciter ignorans. Videndum est, cum quis peccat, non per ignorantiam, sed ignorans, quia semper sic peccans est sciens, & ignorans. Et, ut possimus illas quatuor distinctiones de scientia, & ignorantia adaptare ad ppositū; Diceamus, quæ quis simpliciter peccat nō p ignorantia, Aegid. super ij. Sent. Aa 3 sed

Eth. 7, c. 3.

Ex 1. Post. c. 1.

sed ignorans, quia sic peccans, vel est incontinentis, vel est mollis, vel est intemperatus. Si est incontinentis, tunc scit simpliciter, sed ignorat in pertractando. Nam incontinentis syllogizat in quatuor terminis, vel format sibi quatuor propositiones: vnam minorem, & vnam conclusionem. Nam incontinentis bellat volendo continere, sed vicitus passiuè efficitur incontinentis, vt si adsit facultas, labitur in prauum opus: talis autem accipit maiores diuis: Vnam, quod inordinatum est fugiendum, & quod delectabile est prosequendum: & quia fornicatio habet utrumque, cum deberet accipere hanc minorem, quod fornicatio est quid inordinatum, accipit sub alia maiore, quod fornicatio est, quid delectabile, & concludit eam esse sequendam. quantumcumque ergo incontinentis sit sciens simpliciter, est tamen ignorans in pertractando, idest in syllogizando. Nam sicut fit syllogismus in speculatis, sic syllogizamus in practicis, & possumus utroque modo errare, & ista mens Philosophi in 7. Ethic. Est ergo incontinentis sciens & ignorans, modo, quo diximus, sed mollis est sciens in habitu ignorans in actu. Differt enim mollis ab incontinenti, quia incontinentis bellat, sed mollis non bellat, sed statim vincitur passione. Mollis ergo, & si habet habitum scientiarum, ille habitus sic ligatur per actum, idest per imperium rationis, quod statim consentit in malum opus. Mollis ergo, & si est sciens in habitu, est tamen in actu ignorans. Vterque tam mollis, quam incontinentis peccat passiuè, sed intemperatus peccat electione. Ille enim dicitur intemperatus, qui sic est habituatus in malo, quod delectabile est ei malefacere. propter quod quantumcumque habeat habitum scientiarum in intellectu: tamen prauus habitus, qui est in appetitu: ita ligat habitum scientiarum, quae est in intellectu, quod quandocumque occurrit facultas praui operis, progreditur in prauum opus. Talis ergo, & si est sciens propter habitum, quem habet in intellectu: est tamen ignorans propter habitum, quem habet in appetitu ligantem habitum scientiarum existentem in intellectu. Propter quod patet, quod tres distinctiones adaptari possunt ad tres modos peccandi.

Est autem & quarta distinctio de scientia, & ignorantia, quia potest esse quis sciens in vniuersali, & ignorans in particulari. Et ista distinctione comprehendit quemlibet, qui peccat ignorans. Et ex ista distinctione potest patere, quomodo potest quis scienter peccare, & quomodo potest simul esse sciens, & ignorans. Nam non potest esse res volita, & non volita, nisi apprehendatur, vt bona, & mala. Nam illud, quod apprehenditur solum, vt bonum, de necessitate est volitum: & illud, quod apprehenditur solum, vt malum, de necessitate est non volitum. sed illud, quod apprehenditur uno modo, vt bonum, alio modo, vt malum; potest esse volitum, & non volitum. Si ergo posset peccator separare bonum a malo, & inordinationem a delectatione, iudicaret, quid esset fugiendum: vt

Eth. 7.  
cap. 3.

A puta, quia fornicatio apprehenditur, vt bona, quia delectabilis: apprehenditur, ut mala, quia inordinata. Igitur si peccator posset habere delectationem fornicationis sine inordinatione, potius vellet. Sed magis vult illam inordinationem, quam velit perdere delectationem. Et quantumcumque sciat fornicationem esse inordinatam, ligatur eius scientia, vt non iudicet fornicationem non esse faciendam, quia inordinata. Sed iudicat esse faciendam, quia delectabilis. Quod iudicium est erroneum, & sic iudicando dicitur ignorans, sed haec ignorantia non est in vniuersali, quia scit omnem fornicationem esse fugiendum: at in particullari, quia quantumcumque sciat omnem fornicationem esse faciendam, iudicat hanc fornicationem esse faciendam.

B Et ut melius intelligantur verba Philosophi. Dicemus, quod res in vniuersali intelligitur secundum se separata a conditionibus, cum quibus est, sed in particulari intelligitur eum omnibus conditionibus, cum quibus est. Cum ergo fornicatio sit quid inordinatum, si esset separata a delectatione, numquam caderet sub appetitu. Propter quod, cum appetitus elus sit in vniuersali, nunquam ligabit habitum scientiarum, sed in particulari, vt est coniuncta delectationi, ligabitur ratio, & iudicabit fornicationem faciendam, cum non sit facienda. Dicemus ergo, quod bene videt peccator, quia fornicatio est bona, & mala: est mala simpliciter, & est bona apparenter. Cum ergo vult iudicare utrum sit facienda, vel non; si in eo ratio sit fortis, & non vincatur passione, iudicabit eam non faciendam. sed si ratio sit debilis, & permittat se a passione vinci, iudicabit eam faciendam, quod iudicium est erroneum. sed iste error non est in vniuersali, nisi inordinatio separetur a delectatione. Sed est in particulari, ubi inordinatio est coniuncta delectationi, & ideo dicitur sic peccans ignorare in particulari, non in vniuersali.

C Sed dices, quod etiam, cum homo actu fornicatur, si quæretur ab eo: Utrum illa particularis fornicatio sit facienda; Diceret, quod non. ergo in particulari scit eam non esse faciendam.

D Dicemus ergo cum Philosopho, quod sic dicens mentitur, & dicit ore, quod non sentit corde, quia corde iudicat, & consentit, quod illa fornicatio sit facienda, quia si hoc non consentiret corde, vel non consentiret, non faceret. Si ergo facit, & fornicatur, corde consentit illud esse faciendum, & iudicat in corde suo illud esse faciendum, quantumcumque ore dicat contrarium. & quia tale iudicium non est sine errore, & error non est sine ignorantia, omnis peccans, & si non ignorat in vniuersali, saltem ignorat in particulari. Ideo dicitur in 3. Ethic. quod omnis malus ignorans. Potest enim contingere, quod peccans habeat remorsum conscientiae, & iudicet illud faciendum, & non faciendum, cum omnibus computatis, pro illo tempore, quo peccat, iudicat illud magis esse faciendum, quam non faciendum: quia si non

Eth. c. 1.

**Eth. 7.  
cap. 3.** si non iudicaret, non faceret. Sed dices, quo modo potest sic ligari habitus scientiæ, vel potest sic ligari ratio, q̄d judicet faciendum, quod non est faciendum. Ad hoc respondebimus cum Philosopho in 7. q̄d sicut ratio ligatur in dormiente, & in ebrio, sic ligatur ratio in homine paſionato. In ſomniſ enim ſemper videt, quis ſe in iudicio rationis, & ebrius deficit in iudicio rationis. & ſi di- catur verba scientiæ ore, corde non intelligit, qd dicit. Paſiones ergo, & impetus ſensualitatis, cuiuſmodi ſunt concupiſcentiæ, & iræ, ita reddunt rationem ſopiram, ita inebriant eam, vt erroneè, & ignoranter iudicet, & dicat eſſe faciendū, quod non eſt faciendum. Propter quaꝝ omnis malus, faltem in particulari, in quo erroreum dat iudicium, dicitur eſſe ignorans. Sed dices, q̄d ſomnus, & ebrietas transmutant corpus, & corpore transmutato, impeditur iudicium rationis. Ad hoc respondebimus cum Philof. q̄d iræ, & concupiſcentiæ etiam transmutant corpus, & non ſolū impediunt iudicium rationis, vt male iudicet hoc in particulari, ſed etiam reddunt aliquando hominem inſanum. Nam aliqui ex amore, & concupiſcentia alicuius mulieris effecti ſunt inſani. Et tempore noſtro vidimus aliquem ex numia ira in inſaniam incidiffe.

**R E S P . A D A R G .** Ad primum dicendum, q̄d intellectus ibi accipitur pro habitu principiorum, vel pro intellectuali cognitione principiorum, circa quæ nō cōtingit error, ſed quilibet probat auditu. Et ſi aliquis negauit principia, hoc fuit, quia non intelligebat, quid dicebatur per ea, vel hoc non fuit cū ipſa ſignificatione, ſed cū extranea. dixit. n. Heraclitus contradictionem poſſe verificari: quia reſ erant, in tanto motu, q̄d ſtatiu cūm: quiſ dixerat, hoc eſſe, poterat dicere hoc non eſſe: ſed hoc non erat contradictionia verificari ſimil, ſed ſuccesiuē. ſed licet intellectus ſemper ſit rectus, ratio tamen potest eſſe recta, & non recta, & potest ibi eſſe peccatum.

Ad ſecundum dicendum, q̄d omne peccatum eſt contra rationem, non quoconq; modo ſumpta, ſed contra rationem rectam; ideo potest contingere, q̄d aliquis maleſaciendo credat ſe obſequiu pŕſtare Deo, & hoc credendo habebit rationem non rectam. Peccatum ergo, & obliquitas poſſunt eſſe in ipſa ratione.

Ad tertium dicendum, q̄d omne peccatum eſt voluntarium, & hoc modo omne peccatum eſt in voluntate: tamen, quia voluntas non mouetur, niſi ab obieciō oſteſo ab intellectu, vel à ratione, vel à Deo, non potest eſſe defectus in voluntate, niſi in vniuersali, vel in particulari ſit aliquo modo defectus in ratione. Vel poſſumus dicere, q̄d ratio, vt hic de ratione loquimur, non dicit potentiam cognitiuam, ſed dicit potentiam appetitiuā à ratione motam: ſicut sensualitas non dicit potentiam cognitiuam, ſed dicit potentiam appetitiuā à ſenſu motam.

Ad quartum dicendum, quod ratio, non quoconq; modo ſumpta, eſt mensura aliorum, nec debet ponii in definitione virtutis: ſed ratio, vt eſt recta, quia virtus eſt habitus electiuus in medio-

A critate conſiſtens, vt recta ratio iudicabit, & non quilibet homo debet eſſe mensura, & regula aliorum, vt vult Philosophus: ſed homo iustus, qui ſe quitur rationem rectam.

## ARTIC. II.

*An delectationis tantum conſenſus poſſit eſſe peccatum.  
Conclusio eſt affirmativa.*

D.Th. 1. 2.q.74.art.6. & art.8. Et 2. ſent. d.24. q.3.  
art.4. Et de Ver. quæſt. 1. 5.art.4.cor.  
Et Quol. 1. 2. art.43.



**D S E C V N D V M** ſic proceditur: videtur, q̄d conſenſus in delectatione rationis, ſine conſenſu in opus non poſſit eſſe peccatum mortale. Nam peccatum homicidij eſt peccatum mortale, dato ergo, q̄d quis cogitet de occiſione mortuorum, & delectetur in cogitatione illa, nō videtur peccare mortaliter. Nam cum audimus historias Troianas, & audimus, q̄d Hector occidit tot homines, & delectamur, in hoc non videimur peccare mortaliter: ergo &c.

**C** Præterea omne peccatum in tantum eſt peccatum, in quantum eſt contra preceptum diuinum: ergo illius eſt peccare mortaliter, cuius eſt percipere preceptum diuinum, ſed hoc pertinet ad rationem ſuperiorē: ergo in ratione inferiori quantumcunque ſit ibi delectatio, non poterit ibi eſſe peccatum mortale.

Præterea Magister in littera vult, q̄d nō ſit peccatum mortale in delectatione rationis, niſi illa delectatio ſit morosa. ſed nulla circumſtantia aggrauat peccatum in infinitum. Cum ergo peccatum mortale in infinitum diſtet à veniali, mora, quæ eſt quædam circumſtantia, non aggrauat delectationem in infinitum, cū delectatio rationis non morosa dicatur peccatum veniale: morosa verò dicatur mortale.

**D** Præterea omne peccatum eſt prohibitum in lege diuina: ergo ſiue ſint morosæ, ſiue non, non videntur eſſe peccatum mortale.

**I N C O N T R A R I V M** eſt: quia ſicut in coniugio primorum Parentum fuīt vir, & mulier, & quilibet poterat peccare mortaliter. Sic in coniugio ſpirituali eſt ratio ſuperior, quæ ſe habet, vt vir: & inferior, quæ ſe habet, vt mulier. Tam vir ergo, quām mulier, ideft, tam ratio ſuperior, quām inferior poterunt peccare mortaliter. ſed rationi inferiori attribuitur delectatio, conſentire in opus attribuitur rationi ſuperiori: ergo in illa delectatione rationis ſine conſenſu in opus potest eſſe peccatum mortale.

Præterea Magister hic planè dicit in littera, q̄d delectatio rationis, ſit ſit morosa ſine conſenſu in opus, eſt peccatum mortale.

*In elezione rationis absque opere potest esse peccatum mortale, ex delectatione morosa, non ratione moræ, vel temporis; sed quia ratio delectationi consentit, & consentiendo eligit, sic delectari. Id agit ratione superiori, respectu Dei; & inferiori, respectu proximi.*

R E S P O N D E O dicendum, q̄ licet superius dederimus differentiam inter rationem superiorē, & inferiorem, adhuc de distinctione earum volumus aliqua dicere. Potest enim ratio superior, & inferior dupliciter distingui, vel respectu obiectorum, vt data sicut superioris distinctio inter eas: quia superior est respectu aeternorum, inferior respectu temporalium. Ratio enim superior attendit quomodo sit subiecta Deo, & quomodo intendat aeternis consulendis. Inferior attēdit, quomodo regat corpus, & quomodo intendat temporalibus ministrandis. Sic ergo distinguitur ratio superior, & inferior, vt cōparātur ad obiecta: sed, vt comparatur ad potentias alias, dicitur ratio superior illa, quæ omnes potentias alias mouet ad suos actus. Nam ille, qui stat super equū, dirigit equum per quamcunque viam vult, & vt placet sibi. Sic ratio superior mouet membra, & potentias, & omnia, quæ sunt in potestate nostra, vt placet sibi. Vtique ergo modo dicta est ratio superior per comparationem ad obiecta. quia externea sunt super temporalia: & per comparationem ad potentias, quia omnes alias potentias mouet ad sua opera, vel ad suos actus. Propter quod consentire in opus cōpetit rationi superiori: quia cum illa moueat omnes alias potentias ad suos actus, non sit opus aliquid, nisi ex consensu, & ex imperio illius. Videtur autem hanc duplex ratio esse sumpta secundum rationē duplicitis tabule. Nam si cū Deus dedit suas tabulas, vnam in qua erāt scripta præcepta ordinantia ad Deum, & aliā, in qua erant scripta ordinantia ad proximum: sic ratio superior sumpta est ex eo, q̄ attendat ordinantia hominem ad Deum: inferior vero ordinantia hominem ad proximum. Et sicut ordinantia hominem ad proximum, debent regulari per ordinantia hominem ad Deum. Sic ratio inferior debet regulari per rationem superiorē. Vtrobique ergo potest esse meritum, & demeritū. Nā si recte vivimus, & agimus in his, quæ sunt ad Deum, meremur secundum rationem superiorē: sed per ea, quæ sunt ad proximum, secundum inferiorem: utrobique etiam potest esse delectatio bona, & mala. Nā si delectamur in his, que sunt ad Deum, est delectatio bona secundum rationē superiorē. Si ē contrariò, est delectatio mala secundum eandem rationem. Eodem etiam modo si recte delectamur in his, quæ sunt ad proximum, erit delectatio bona secundum rationē inferiorē. Si econtrario, erit mala secundum eandem rationem.

Aduertendum autem, q̄ tam ratio superior, quam inferior potest bene, & male se habere dupliciter: videlicet secundum se, & secundum id,

A quod habet regulare. nam ratio superior habet regulare inferiorem. Potest ergo superior se habere duplicit, vel secundum se, vel secundum, q̄ compescit rationem inferiorem, & dicitur male, vel secundum se, vel secundum, q̄ negligit compescere rationē inferiorem. Sic ratio iūferior duplicit potest se habere bene secundum se, & secundum, q̄ compescit sensualitatē, & dicitur male secundum se, & secundum, q̄ negligit sensualitatem compescere.

Cum ergo queritur de delectatione rationis, vtrum possit ibi esse peccatum mortale, patet, q̄ tam in ratione superiori, quam in inferiori potest esse delectatio bona, quæ est meritum, & delectatio mala, quæ potest esse peccatum mortale. Nā & in his, quæ sunt ad Deum, & in his, quæ sunt ad proximum, possumus bene, & male delectari, & possumus mereri, & mortaliter peccare. Magister tamen in littera mouet hanc questionē propter rationem inferiorem, cui attribuitur delectatio, quia rationi superiori attribuitur consensus in opus: quod non sic intelligendum est, q̄ rationi superiori non competit delectatio, cum delectatio sit aliquid consequens operationem. Sicut ergo rationi superiori attribuitur propria operatio, quæ est in his, quæ sunt ad Deum, vel in contrarijs: sic attribuemus ei propriam delectationem, sed quia rationi inferiori competit delectatio, sed non competit consensus in opus: quia nō competit ei mouere membra, & potentias ad suos actus, vel ad sua opera: quia hoc competit solum ei, quod tenet supremū gradum in regno animæ:

C cuiusmodi est ratio superior. Inde est ergo, q̄ licet delectari, possit esse quid commune rationi superiori, & inferiori; tamen, quia consentire in opus est proprium rationi superiori, ideo attribuitur ei delectatio: nec attribuitur rationi inferiori, vt in hoc distinguatur à superiori: quia ei competit solum delectari, sed non consentire in opus, quod rationi superiori competit. De ratione ergo inferiori Magister vult, q̄ si sit delectatio morosa, quod sit ibi peccatum mortale.

Et si obiciatur contra eum, q̄ non est peccatum mortale sine consensu rationis superioris; propter quod si non consentiatur in opus, non videatur ratio superior consentire, & quantumcunque morosa sit ista delectatio, non videtur ibi esse peccatum mortale.

D Ad quod respondeat Magister, q̄ si sit delectatio morosa in ratione inferiori, ibi est consensus superioris rationis: & si non est ibi consensus in opus prauum, consentit tamen in delectationem prauam. Nam cū delectatio sit quid consequens opus: oportet, q̄ quale est opus, talis sit delectatio, vt potest haberī à Philos. Si ergo opus erit bonum, delectatio erit bona, si prauum, praua;

Aduertendum, q̄ ad hoc valet distinctio superioris facta, q̄ rationi superiori duplicit potest imputari malum, vel secundum se, vel secundum, q̄ habet compescere rationem inferiorem: ergo si delectatio sit morosa in inferiori ratione, & si non sit ibi consensus superioris rationis secundum se, erit tamen ibi consensus, prout negligit compescere

12. Metaph. tex. c. 39.

lib. 12. Met. tex. c. 39.

Rom. x. pescere rationem inferiorem, quod faciendo dicitur consentire. Nam & Ambros. super illo verbo: Non solum, qui faciunt, sed qui consentiunt, ait: Consentis, si taces, cum possis arguere. ergo ratio superior consentit delectationi rationis inferioris ex hoc solum, si non compescit eam, cum possit compescere: quia plus est consentire non compescere, qui potest compescere, quam tacere, qui potest arguere. Aduertendum etiam, q[uod] delectatio morosa non dicitur peccatum mortale ratione temporis, vel ratione moræ, sed ratione consensus, & electionis, vt tunc dicatur delectatio morosa, quia ratio consentit, & consentiendo eligit sic delectari.

RES P. A D A R G. Ad primum dicendum, q[uod] cù audimus aliqua de Sanctis, q[uod] sic passi sunt, si gaudemus de his, sic passi, tanquam bene meritis, non solum non peccamus, sed meremur. sed si gaudemus de eis, sicut gaudebant tyranni, peccamus, & demeremur: & nulli dubium, q[uod] hoc modo possumus mortaliter peccare, etiam si audiimus de aliquo milite strenue bellante, si gaudemus de eo tanquam de defendantie iustitiam, nō solum non peccamus, sed meremur. Sed si gaudemus de eo tanquam de prosequente iustitiam, possumus mortaliter peccare.

Ad secundum dicendum, q[uod] præcepta Dei nō solum ordinant hominem ad Deum, sed etiā ad proximum, etiam ante legis dationem, vbi fuerunt data præcepta Dei, homo tenebatur diligere Deum, & proximum. Et, vt serebatur in Deum, pertinebat hoc ad rationem superiorē, vt in proximum ad inferiorem. Et nūc etiā mandata Dei, licet sub hac ratione, vt sunt Dei, quæ est quid exteriorum, videatur ad rationem superiorē pertinere, tamē sub hac ratione, vt terminatur ad proximum, qui est quid temporale, pertinent ad rationem inferiorē. Vel possumus dicere nō esse inconueniens unum, & idem alio, & alio modo ad aliam, & aliam rationem pertinere. Vel possumus tertio respondere, q[uod] sicut in sensualitate potest esse virtus, & virtutē, vt regitur a ratione inferiori: sic esse potest ineritum, & demeritum, & peccatum mortale in ratione, vt regitur à ratione superiori, cuius est percipere mandata Dei.

Ad tertium dicendum, quod delectatio morosa potest esse peccatum mortale non ratione moræ secundum se, quæ est quedam circumstantia, sed ratione cōsensus, & electionis, quæ dāt spem peccati. Nam si quis ex impetu delectetur, non peccabit mortaliter: sed si consentiat, & eligit sic delectari, si illud opus est mortale, mortaliter peccabit. Quamvis autem in hoc aliqui contradicat Magistro; tamen tutior est opinio Magistri, cum non solum consentire in opus, quod est peccatum mortale, sed etiam consentire in ipsam delectationem sine opere per consensum, & electionem, quod vocat Magister delectationem morosam, est peccatum mortale, & etiam contra mandata Dei, & reducitur ad illud mandatum: Non concupiscere, iuxta illud Apostoli: Nesciebam, quod concupiscentia esset peccatum, nisi lex diceret: Non concupiscere.

### ARTIC. III.

*An omne peccatum à sensualitate ortum habeat.*

*Conclusio est negativa.*

Ricard. 24.q.vlta. Bielde. 24.q.1.



Psal. 83. D T E R T I V M sic proceditur: videtur, q[uod] non possit esse peccatum in ratione, quod nō oriatur ex sensualitate, quia super illo verbo: Altaria tua Domine vir tutū, dicit Glo. q[uod] non potest aliqua mala suasio oriri in te, nisi carnis tuæ primo desiderium commouerit: ergo nullum peccatum erit in ratione, nisi oriatur ex carne, id est, ex sensualitate.

Præterea Apost. ad Galatas, narrando o[mn]i p[ro]pa carnis, narrat ea, ad quæ possunt reduci omnia peccata: ergo omnia peccata oriuntur ex carne, & per consequens ex sensualitate.

Præterea super illo verbo ad Romanos: Nā cōcupiscentiam nesciebam, &c. dicit Glo. bona est lex, quæ cum concupiscentiam prohibet, omnia mala prohibet; sed concupiscentia, cum sit passio, habet esse in sensualitate: ergo &c.

Præterea aut homo viuit secundum superiora, aut secundum inferiora: si viuat secundum superiora, non videtur peccare: peccabit ergo, si viuat secundum inferiora: sed inferiora ascendunt ad rationem per carnem ex sensualitate: ergo &c.

Tomo 5. cap. 1. I N C O N T R A R I V M est August. de Ciui. Dei lib. 4. vbi ait: Qui putant omnia animæ mala ex corpore accidisse, in errore sunt.

Præterea idem Aug. eo.lib.c.3. ait: Non omnia vitæ virtus tribuenda sunt carni, ne ab his omnibus purgeminus Diabolus, qui non habet carnem. Et ad Galatas Glo. in eandem sententiam incidit.

### R E S O L V T I O.

*Si ex passione peccamus, nullum est in ratione peccatum, quod à sensualitate ortum non trahat: contra vero ex electione, siue quantum ad peccata spiritualia, siue quantum ad carnalia, qui alter sentiunt, illi quidem cœcutiunt.*

Tomo 3. R E S P O N D E O dicendum, nulli dubium es: se aliqua esse peccata spiritualia, aliqua carnalia. Peccata autem spiritualia omnia non solum non à carne, sed nec etiam à Diabolo sumunt ortum. Non à carne, vt patet per August. in locis præsignatis. sed si omnia peccata, & maximè spiritualia essent à carne, purgaremus Diabolus à peccato, qui non habet carnem. Nec etiā sunt à Diabolo omnia talia peccata. Vnde August. in lib. de Eccles. dogm. ait: Non omnes mala cogitationes nostræ semper Diaboli instigatione excitantur, sed

sed aliquoties ex nostri arbitrij motu emergunt; A sed licet sit sic de spiritualibus peccatis, dubium est de carnalibus, utrum omnia sint ex carne, vel priatur à carne. Cum ergo omnissimo peccato per ignorantiam, aliquis possit peccare ex passione, vel ex dilectione; non est dubium, quod si peccamus ex passione, et peccata illa oriuntur ex carne, & ex sensualitate. Cum enim sensualitas mouetur ad illicita, semper est ibi peccatum, scilicet veniale.

peccati, vi-  
tii, culpa,  
& demeriti  
differentiali;  
v. 1. cap. 1.  
ad dñm. 21. q. 1.  
ad dñm. 4. & dist.  
10. q. 3. et 4.

Rom. 7. Apostoli: Video autem aliam legem in membris meis repugnante legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati; ergo in talibus habet esse peccatum.

Sed dices: In talibus habet esse peccatum, cum sint quid inordinatum; sed non habet ibi esse culpa, si non procedunt à voluntate, ex qua sumitur ratio culpæ. Nam in ipsis rebus naturalibus habet esse peccatum, cum generant monstra: tamen non est in eis ratio culpæ, sed quod primi motus sensualitatis sunt culpabiles, patet per Apostolum, qui cum prius dixisset, quod videbat aliâ legem, &c. postea immediate subdit: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei, ergo cum gratia opponatur culpa, & habeat expellere culpam, tales motus ita sunt peccatum, quod etiam sunt culpa. De eo vero, quod dicunt, quod nihil habet rationem culpæ, nisi quatenus est a voluntate volitus, vel à ratione imperatum; Dici debet verum esse, quantum est de culpa perfecta, propter quod tales motus, in quantum habent rationem culpæ imperfectæ, & in quantum sunt peccatum veniale, non oportet, quod procedant à ratione, immo possunt precedere rationem,

Et si queratur; utrum aliquo modo hoc imputetur rationi: dicitur, quod quia potest impedire hanc, vel illam, & quemlibet in se impedit potest, vt ex hoc aliquo modo imputetur rationi, non obstante, quod ratio omnis huius motus impedit non potest. Et quia levissima est culpa in talibus, & resistendo eis est magnum meritum, si volumus legitimè certare, debemus gaudere, si in tentationes varias incidamus. Omne ergo peccatum est voluntarium, & si est peccatum perfectum, est voluntariū simpliciter; sed si est imperfectum, non oportet, quod sit voluntarium simpliciter, sed sufficit, quod sit voluntarium secundum quid, in quantum voluntas non impediuit, quod potuit impedire,

Ad questionem autem, cum queratur; utrum possit esse peccatum in ratione, quod non oriatur ex sensualitate, ut iam tetigimus, omnissimo peccato

per ignorantiam, non contigit peccare, nisi duplum ceterum: ex passione, & ex electione. Si ergo peccamus ex passione, cum passiones, propriæ loquendo, non habeant esse, nisi in parte sensitiva, nullum tale peccatum erit in ratione, quod non oriatur ex sensualitate. Sed si peccamus ex electione, non oportet, non solum quantum ad peccata spiritualia, sed nec etiam quantum ad carnalia, quod quodlibet tale oriatur ex sensualitate. Nam sicut non omnemalæ cogitationes nostræ sunt ex instigatione Diaboli, quia possunt esse ex motu nostri arbitrij, ut patuit per Aug. Ita non oportet, quod omnia, quæ cogitamus de carnalibus motibus, oriatur à carne, quia possunt oriri ex motu nostri arbitrij. Videmus enim aliquos non stimulatos à carne ex motu sui arbitrij facere experimenta, & sumere aliqua cibaria calida, vt in eis moueat caro. Tales enim non solum non bellant contra carnem, immo displicerent eis, quod non insurgit in eis caro. Dicere ergo talia peccata ortum habere à sensualitate, vel à carne, nec apparentiam, nec existentiam habet.

R E S P. A D A R C. Ad primum dicendum, quod secundum Aug. 14. de Ciui, nomine carnis potest intelligi totus homo. Nam cum dicitur: Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro, Idem est, ac si dicat: Non iustificabitur omnis homo. Et in eod. cap. vult, quod peccata spiritualia, & carnalia sunt opera carnis, quia sunt opera hominis. Potest ergo exponi verbum Glo, quod ibi caro sumatur pro homine.

C Et per hoc patet solutio ad secundum. Nam Augustinus eodem lib. & cap. exponens opera carnis, quæ narrat Apostolus, vult, quod ibi caro stet pro homine, omnia ergo illa sunt opera carnis, quia sunt opera hominis. Inter illa tamen opera, vt ait Augustinus, narrantur tamen peccata carnalia, quæ spiritualia. Dicuntur tamen omnia esse opera carnis: quia sunt omnia opera hominis; cum contingat, hominem peccare utroque genere peccatorum.

Ad tertium dicendum, quod nomine concupiscentia potest intelligi omne desiderium. Cum ergo nullum sit malum, quod ex aliquo desiderio non oriatur: quia desiderare non solum competit appetitu sensitivo, sed etiam intellectivo, lex prohibendo concupiscentiam, id. mala desideria, prohibet omnia mala.

D Ad quartum dicendum, quod peccatum non distinguitur per cogitare de superioribus, vel de inferioribus:

sed per cogitare, & vivere

ratione, & non ra-

tione. Et quia

cogitando

de su-

perioribus, &

inferioribus, possiu-

us hoc agere ratione,

& non ratione;

ideo &c.

Tomos.  
cap. 2.  
Rom. 3.

Tomos.  
c. 2.  
Gal. 2.

*An in ratione superiori posse esse  
veniale peccatum.  
Conclusio est affirmativa.*

D.Th.1.2.q.74.art.9. & 10. Et 2.sent.d.14.q.3.art.5. Et de  
Verit.q.15.art.5. D.Bon.d.24.p.2.art.1.q.2.



**D** Q V A R T V M sic proceditur: videtur, q̄ in ratione superiori non posse esse peccatum veniale. Nam hæc videtur esse differentia inter rationem superiorem, & inferiorem: quia ratio superior semper videtur ferri deliberate, sed non inferior. Cum ergo ferri deliberate in malum sit peccatum mortale, in ratione superiori non poterit esse, vt videtur, peccatum veniale, sed semper mortale.

Præterea supra dicebatur, q̄ Adam habebat rationem superiorem coniunctam Deo, non poterat peccare venialiter. Cuius causa tota videtur esse, quia in ratione superiori non potest esse peccatum veniale: quia si posset inesse, vt videtur, potuisse Adam peccare venialiter.

Præterea non est aliud peccatum mortale, nisi obliquare se à rebus diuinis. Cum ergo ratio superior habeat intendere circa diuina, non poterat peccare, nisi obliquando se à diuinis, sed hoc est mortale peccatum: ergo &c.

Præterea peccata venialia videntur esse ex carne: Ratio ergo superior, quæ est maximè remota à carne, vt vñ, non poterit peccare venialiter.

**I**N C O N T R A R I V M est: quia non est maius peccatum consentire in actum, quam sit ipse actus. sed aliqui actus de se sunt peccata venialia: ergo si ratio superior consentiat in illos actus, non peccabit mortaliter, sed venialiter.

Præterea subiti motus, & inde liberati non soli possunt esse in ratione inferiori, sed superiori, cum tales motus sint peccatum veniale: ergo &c.

#### R E S O L V T I O.

*Peccatum veniale in ratione esse non potest, si de  
veniali in genere, & ex se loquamus: sed ratio-  
ne subiecti non item.*

**R**E S P O N D E O dicendum, q̄ peccatum veniale potest esse dupliciter, vel de se, & per se: sed per accidentem, & ratione subiecti. Illud enim peccatum est de se veniale, quod secundum suum genus est veniale. Et illud per se est veniale, quod non ratione subiecti, sed ratione sui est tale. Sed illud est veniale non per se, nec de se, sed per accidentem, quando ratione subiecti, non ratione sui est tale: vt puta, si aliquis subito cogitaret aliquid pertinens ad infidelitatem, licet talis motus esset superioris rationis, quæ veratur in his, quæ sunt circa Deum; tamen ex hoc non peccaret mortaliter. Infidelitas ergo per se,

**A**& de se est peccatum mortale: sed per accidentem, & ratione subiecti, vt quia potentia, cui competit talis motus, indeliberatè mouetur, potest esse peccatum veniale.

Cum ergo queritur, vtrū in ratione superiori possit esse peccatum veniale: aut loqueris de eo, quod est veniale ex genere; sic in ratione superiori potest esse peccatum veniale, quia potest ratio superior contentire, vt dicatur verbum ociosum, & hoc faciendo non peccabit mortaliter: immo quia ad rationem superiorē spectat mouere membra, & potentias ad suos actus, non poterimus mouere labia, & linguam ad proferendum verbum ociosum deliberate, nisi per consensum rationis superioris. Dato ergo, q̄ ex deliberatione rationis superioris consentiatur in hoc, non erit propter hoc peccatum mortale. Sed si loquamus de peccato veniali non ex genere, sed ex ratione subiecti, vt quia potentia indeliberatè mouetur ad aliquem actum; sic distinguimus de motu rationis superioris: quia aut mouetur ex se, aut mouetur consentiendo rationi inferiori. Nam ille modus peccandi, qui habetur in littera, & traditur ab Aug. in lib. de Trin. q̄ in peccato sensualitas se habet, vt serpens:ratio inferior, vt mulier: superior, vt vir: non oportet, q̄ semper illa tria concurrant ad quodlibet peccatum: quia, vt patuit per Aug. non debemus sic carni, vel sensualitatē attrahere mala, vel peccata, q̄ Diabolus peccare non possit, qui caret carne. Potest ergo in ratione esse peccatum sine sensualitate, vel absq; eo, q̄ oriatur ex sensualitate, vt in praecedenti quæst. dicebatur:

**C**Et sicut potest in ratione inferiori esse peccatum sine sensualitate: sic potest in ratione superiori esse peccatum absq; inferiori: quia potest superior de se moueri in his, quæ sunt ad Deum, & in his, quæ spectant ad tabulam primam, vt puta ad adorandum idoli, vel ad periurandum, vel ad non sanctificandum sabbata. Si ergo de se mouetur ratio superior ad talia non recte; vel erit ille motus plenus, & deliberatus, & cum completo consensu factus, & tunc erit mortale: vel erit incompletus, & indeliberatus, & subitus sine electione, & tunc erit peccatum veniale. Propter quod in ratione superiori, etiam hoc modo potest esse peccatum veniale. Sed si mouetur ratio superior à ratione inferiori, vt puta, quia ratio inferior delectatur in aliquibus illecebris, & suadet rationi superiori, q̄ consentiat, talis consensus non videtur posse esse sine deliberatione. Ratio enim superior ex hoc habet regulare inferiorem, vt consultit aeterna, & vt mouet membra, & potentias ad suos actus, quæ sine deliberatione, & sine electione fieri non possunt. Propter quod Magister in littera delectationem morosam posuit peccatum mortale: quia non potest hoc esse sine consensu rationis, quæ & si non consentiat in opus, consentit tamen in delectatione. Cum ergo voluntas eligat, & eligendo consentiat, non poterit ratio superior contentire inferiorem sine electione, siue sit illa electio: quia eligit non refranare inferiorem: siue sit, quia assentit illi delectationi, & delectatur in his, in quibus delectatur inferior. Nam cogitando de his, à quibus possiu-

possimus deflecti, & delectari in alijs, videtur, quod ratio superior hoc modo in his, quae sunt de se peccatum mortale, vel in delectationem talis operis erit peccatum mortale. Vnus enim, & idem homo est, qui per rationem inferiorē delectatur, & deliberando per superiore rationem consensit, vel delectationi tantū, vel delectationi, & operi, qd si opus est peccatum mortale, solus consensus in delectationem erit peccatum mortale.

**R E S P. A D A R C.** Ad primum dicendum, qd cum ratio superior dicatur semper ferri delibera-  
tē; non est intelligendum, vt patet de proprio  
motu; quia hoc modo potest moueri subito, &  
indeliberatē, sed vt consentiat rationi inferiori,  
quia hoc non fit subito; quia in hoc motu primo  
delectatur ratio inferior, & suadet superiori, si-  
cūt mulier suasit viro, si consentiat ratio supe-  
rior, quā se habet vt vir, hoc non erit sine delibera-  
tione, & electione. Non potest enim quis delectari, & aduertere delectationem, & consentire in ea sine delibera-  
tione. Si enim quis subito delectatur, & non aduertetur de delectatione, non di-  
ceretur consentire in ea. Si autem animaduer-  
tat, & consentiat, patet, quod cum delibera-  
tione, & electione hoc faciat. Si ergo opus illud est pec-  
catum mortale, cōsensus in delectationem eius,  
quod non fit sine ratione, semper erit peccatum  
mortale.

Ad secundum dicendum, qd Adam non potuit peccare venialiter, non solum propter adhesio-  
nem rationis superioris cum Deo: sed quia habe-  
bat originalē iustitiam, per quam omnia inferi-  
ora erant subiecta superioribus, vt nihil insurge-  
ret in eo, nisi secundum dictamen rationis, pro-  
pter quod prius dictabat ratio talē motū fiendū  
esse, qdā fieret. Quādiu ergo sic se habebat,  
nec venialiter, nec mortaliter peccabat: non  
poterat ergo peccare, nisi prius perderet illā ori-  
ginalē iustitiam, quam perdere non poterat si-  
ne peccato mortali, & auertendo se à Deo. pec-  
catum enī veniale, et si est aliqualis conuersio  
ad bonum commutabile, non est ibi auertio à bo-  
no incommutabili, quia non perdit per hoc ho-  
mo charitatem, per quam cōiungitur incommu-  
tabili bono. Et quia non poterat Adam peccare,  
nisi prius se auertere à Deo, & perderet origina-  
lē iustitiam: ideo primum peccatum suum non  
potuit esse veniale, sed non est sic in nobis, quia  
cum non habeamus originalem iustitiam, possu-  
mus prius peccare venialiter absque eo, qd peccemus  
mortaliter.

Ad tertium dicendum, qd peccatum est auer-  
tio ab incommutabili bono, & obliquatio à Deo  
si habeat plenam rationem peccati: sed peccatum  
veniale, quia non habet plenam rationē peccati,  
dicitur conuertere aliqualiter ad commutabile,  
sed non auertere ab incommutabili, & dicitur es-  
se præter finem, sed non contra finem.

Ad quartum dicendum, quod peccata venia-  
lia sunt ex carne pro tanto: quia propter corru-  
ptionem carnis traducitur peccatum originale,  
& nascimur sine originali iustitia, qua priuati,  
possimus peccare mortaliter, & venialiter, &

A quā induit esse similes. Ade, & non possemus  
peccare venialiter, nisi prius peccaremus morta-  
liter. Cum non omnia peccata, vel mortalia, vel  
venialia sint à carne, quod non possit esse pecca-  
tum veniale, vel mortale in ratione tam superio-  
ri, quam inferiori, nisi oriatur ex carne, ut est per  
ante habitu manifestum.

## A R T I C. V.

*An peccatum veniale fieri pos-  
sit mortale.*

*Conclusio ob varios sensus  
est problematica.*

D.Thom.2. sent. dist. 24. quest. 3. art. vltimo.



**D Q V I N T V M** sic proceditur: videtur, qd peccatum veniale pos-  
sit fieri mortale, saltem per mul-  
tiplicationem: quia omne fini-  
tum proportionale est cuilibet  
finito. sed in omni peccato est  
quædam complacentia, & illa complacentia est  
finita, sine sit peccatum veniale, siue mortale. Nam  
conuersio ad commutabile bonum, vnde sumi-  
tur complacentia, est finita: Toties ergo poterit  
fieri complacentia peccati venialis, quod æquabi-  
tur complacentia peccati mortalis.

**C** Præterea delectatio rationis inferioris ante cō-  
sensum rationis superioris est peccatum veniale,  
post consensum est mortale: ergo &c.

Præterea unus motus continuus, vt puta una  
delectatio cōtinuata in prima sui parte potest es-  
se sine contemptu Dei, & tunc erit veniale: postea  
in alia sui parte potest esse in contemptu Dei, &  
erit mortale: ergo veniale erit mortale.

Præterea peccatum veniale videtur esse quædam  
dispositio ad mortale. Habet ergo se mortale, &  
veniale, sicut dispositio ad habitu. sed ipsa disposi-  
tio fit habitus: ergo veniale potest fieri mortale.

Præterea mortale potest fieri veniale, quia il-  
lad, quod est mortale de se, per conformatiōnem  
fit veniale: ergo & e conuerso, veniale potest fieri  
mortale.

**D** IN CONTRARIUM est: quia quæ distant  
in infinitum, unum non potest in aliud transmu-  
tari. sed veniale, quod obligat ad pœnā tempora-  
lem, distat in infinitum à mortali, quod obligat  
ad pœnam æternam: ergo &c.

Præterea iteratio actus nō diversificat speciem,  
sed veniale, & mortale non solū sunt diversæ spe-  
cies, sed sunt diversa genera peccatorū: ergo &c.

## R E S O L V T I O.

*Peccatum veniale ex genere per complacentiam  
fieri potest mortale; idemq; actus mortalis, &  
venialis esse potest materialiter formaliter non  
item. Idem insuper actus in genere mortalis, &  
venialis dici potest, sed non in genere moris.*

**R E S O L V T I O.**

**R**ESPONDEO dicendum, q̄ peccatum veniale fieri mortale dicunt quidam posse fieri per iterationem actus, & hoc uidetur tangere Magister in littera, quia quoddam est peccatum mortale si fiat semel, quoddam si frequenter. Et exponit se. Quia quædam etiam semel facta dominant, quædam non, nisi si frequenter.

*Vide D.P. Auguft. Ep. 103. To. 2.*

**T**omos. Sed hoc stare non potest, quia peccatum veniale non tollit charitatem. Si enim aliquis homo fecisset omnia peccata uenialia, quæ sunt facta ab Adam usque nunc; propter hoc non perderet charitatem, quia charitas est illa uestis nuptialis, in qua quicunque inuenietur, intraheretur ad illas nuptias æternas. Nam ut Aug. uult in 15. de Trin. Charitas est illud donum, quod diuidit inter filios perditionis æternæ, & filios regni æterni. Multiplicatio ergo uenialium, quæ non tollit charitatem, non æquabitur peccato mortali, quod tollit charitatem. Verum quia huic dicto videtur Magister assentire, in litteralibus quæstionibus patebit, quomodo possit hoc habere veritatem.

*D*istinctio-  
nes uocis d  
peccato ue-  
niali, &  
mortali.

**A**d quæstionem ergo propositâ respôderi potest per uarias distinctiones, ut sit una distinctio, quod id, quod est ueniale ex genere, potest fieri mortale per complacentiam. Vel potest dici, q̄ idem actus materialiter potest esse peccatum ueniale, & mortale, sed non idem formaliter.

Potest tertiā & tertio dici, quod idem actus in genere naturæ potest esse ueniale, & mortale, sed non idem in genere moris.

Potest etiam quarto dici, quod idem actus rationem præueniens potest esse peccatum veniale: à ratione imperatus potest esse mortale.

*V*eniale  
q̄o efficiat  
mortale.

Propter primum sciendum non esse inconveniens ueniale ex genere: fieri mortale ex complacentia. Ut puta uerbum ociosum, quod est ueniale ex genere, ex complacentia posset esse mortale, quia tantum posset quis sibi complacere in verbis ociosis, quod ponere ibi rationem finis, quod faciendo peccaret mortaliter. Nam lignum vetitum de te non erat malum, sed tamen, ut prohibitum à Deo erat malum, & peccauerunt mortaliter edentes de illo ligno. Si ergo bonum potest fieri malum per prohibitionem, peccatum veniale potest fieri mortale per prohibitionem, qui ergo tantum complaceret sibi in verbo ocioso, quod etiam si Deus prohiberet, ipse nullo modo dimitteret; quod esset ueniale sim pliciter, & ex genere, fieret mortale ex complacentia. Propter quod potest habere veritatem id dictum, quod non est aliquid ueniale, quod non fiat mortale: dum placet uerum est, si placet placentia finis.

Propter secundam distinctionem est sciendum, quod sicut aliquando quis potest esse in diverso loco materialiter non formaliter, sic idem actus potest esse peccatum ueniale, & mortale materialiter, non formaliter.

Vel secundum tertiam distinctionem ille idem actus in genere naturæ, non idem in genere moris. Si quis enim esset in aliquo lo-

*A*co, & veniret ventus, & tolleret totum aerem, qui est circa ipsum, diceretur: ille est in eodem loco formaliter, quia haberet eundem ordinem ad uniuersum. Sed non esset in eodem loco materialiter, quia non esset in eadem aere. Sic nauis in eodem fluamine ligata ad stipitem semper est in alio, & alio loco materialiter, quia semper habet aliam, & aliam aquam sub se. sed semper est in eodem loco formaliter, quia semper habet eundem ordinem ad totum fluuim.

*Idem in eadem loco duplifieretur.*

Et ex hoc potest patere intellectus illius verbi Philosophi, quod totus fluuus habet magis rationem loci, quam pars fluui. Potest autem esse, & econuerso, quod aliquid sit in eodem loco materialiter non formaliter, ut si vas plenum uino portaretur ad aliud locum, esset illud unum in eodem loco materialiter, quia esset in eadem superficie uasis, sed non esset in eodem loco formaliter, quia non haberet eundem ordinem ad uniuersum. Et si quæretur de illa superficie uasis: Vtrum sit in eodem genere: respondet, quod esset in eodem genere, ut genus refertur ad quantitatem continuam; sed non esset in eodem genere, ut genus refertur ad locum, vel ad unitatem loci. Nam alia est unitas superficie, ut est quantitas una, & ut est locus unus, quantitas enim continua habet unitatem, & continuatatem in se, ut superficies habet in se lineam, quæ continuat ipsam, sed locus habet unitatem à locato, quia unus loco debetur unus locus. Si ergo unum corpus esset partim in aqua, & partim in aere; licet superficies aeris, non faciat unam superficiem cum superficie aquæ in genere quantitatis continuæ, tamen faceret unam superficiem in genere loci, quia superficies aeris, cum superficie aquæ, prout continent unum locatum, non essent, nisi unus locus. Et ideo Philosophus in p̄dicamentis uolens distinguere unitatem loci ab unitate quantitatis continuæ ait: Amplius autem *In Prædictis Quantitatibus* præter hęc, tempus, & locus Magnitudo enim habet unitatem a se, continuatatem vero ab aliquo, quod est in ea, & est terminus eius. Tempus autem, & locus habent unitatem ab alio, ut tempus habet unitatem a motu, & locus à locato. Tempus, unde se est quantitas discreta, quia est numerus, & si habet unitatem, habet eam ab alio, videlicet à motu cœlesti, qui est unus, & continuus.

Possumus autem hoc adaptare ad propositum, ut dicamus, quod sicut potest esse una, & eadem superficies in genere loci, & non in genere quantitatis continuæ, sicut superficies aquæ, & aeris possunt facere unam superficiem in genere loci, sed non in genere quantitatis continuæ: & sicut eadem superficies potest esse idem locus materialiter, sed non formaliter, sic actus idem in genere naturæ potest esse, hoc uel illud, sed non idem in genere moris. Verbum enim ociosum, ut est peccatum ueniale, vel mortale, potest esse idem actus in genere naturæ, sed non in genere moris: & si Aegid. super ij. Sent. B b erit

& si erit idem in genere moris, hoc erit materialiter non formaliter. Nam naturalia sumunt species ex forma: moralia ex fine. Verbum autem octosum, ut est peccatum veniale, & mortale, potest esse idem in genere naturae, quia potest formaliter per eadem fabia, & per eandem linguam, sed non erit idem in genere moris, ubi sumunt species ex fine, quia quamdiu est veniale, non ponetur ibi finis. Sed si fiat mortale ponetur ibi finis, & diligetur dilectione finis quia veniale non fit mortale, nisi ponatur ibi complacentia finis. Pro sequutis tribus distinctionibus, quomodo idem actus potest esse veniale peccatum, si non sit ibi complacentia finis: & mortale, si sit ibi talis complacentia: vel idem actus potest esse hoc, & illud materialiter, non formaliter: vel idem actus in genere naturae, non in genere moris.

Volumus prosequi distinctionem quartam, quomodo idem actus rationem preuenientem potest esse veniale a ratione imperatus potest esse mortale. Nam mortis sensualitatis, ut rationem preuenit, potest esse veniale. Sed ut a ratione imperatus: potest esse mortale. Nam eadem delectatio de opero mortali ex impetu facta, & ratione pueriens erit veniale. Si tamen ei ratione consentiat, vel eam impremet, erit mortale. Sed dicunt aliqui, quod non est idem actus hic, & ille, quia consensus adueniens facit ipsum mortale. Sed non oportet, quod omnis actus, qui est peccatum mortale, sit a ratione, vel a voluntate elicitus, sed sufficit, quod hoc modo sit imperatus: Homicidium est peccatum mortale, & huiusmodi actus non est a uoluntate elicitus, sed sufficit ad hoc, quod sit peccatum mortale, quod sit a voluntate imperatus. Semper tamen recurredum est ad distinctionem illam: quod idem actus in genere naturae potest esse peccatum veniale, & mortale, sed non in genere moris. Si quis enim cognoscat non suam, & postea accipiens eam in uxorem cognoscat, ut suam: erit idem actus in genere naturae, non in genere moris. Cognoscendo enim eandem mulierem non suam, peccat mortaliter, & cognoscendo eam suam, potest peccare venialiter.

**R E S P. A D A R G.** Ad primum dicendum, quod complacentia, quae facit peccatum mortale, est quasi infinita, quia est complacentia finis, & finis secundum Philosophum est diligibilis in infinitum. & si complacentia, ut est quid naturale, potest habere commensurationem aliquam hic, & ibi, ut est quid morale, non recipiet commensurationem, quia omnia, quae sunt ad finem, non aequaliter fini. Et per hoc patet solutio ad secundum, quia una delectatio, ut est ratione pueriens, vel, ut praecedit consensum rationis superioris: & ut sequitur, non est una tantum saltem in genere mortis. Et per hoc patet solutio ad tertium. Nam si unus motus in una sui parte est peccatum veniale, in alia mortale; Dicemus, quod ille motus, & si est unus in genere naturae: non potest esse unus in genere moris.

Ad quartum dicendum, quod dispositio ad peccatum mortale non fit peccatum mortale, si-

A cut dispositio ad formam substantialiem non fit forma substantialis, disponit enim materia ad formam substantialiem per accidentalem, sed non quam forma accidentalis fit substantialis. Sic in proposito: quia peccatum mortale est complacentia finis, si aliquis disponit ad tales complacentiam, non erit idem actus cum huiusmodi complacentia. Et dato, quod posset esse idem actus secundum speciem in genere naturae, non erit idem in genere moris, cum moralia sumant speciem ex fine. Ponere enim ibi finem, quod spectat ad peccatum mortale: & non ponere, quod potest spectare ad ueniale, non possunt esse idem secundum genus moris: conuenit tamen aliquando, quod aliquis ordinet unum peccatum mortale ad illud, B ut aliquis committit furtum, ut habendo pecuniam possit incechari. tamen a fine fiet denominatio quia secundum Philosophum, qui fuitur, ut mechetur, non est fur, sed mechus.

Ad quintum dicendum, quod mortale fit ueniale per confessionem; non accipitur ibi ueniale, ut hic de ueniali loquimur, quia loquimur de ueniali ex genere, sed peccatum mortale per confessionem fit ueniale non ex genere, sed ex euenuia quia confessio adueniens facit ipsum ueniale, quia facit, quod puniat pœna temporalis, quod sine confessione fuisset punitum pœna æterna.

### Dubitatio I. Litteralis.

C **V**PER litteram dubitatur: Primo super illo uerbo, quod quedam sunt, quæ si semel fiant, damnant: quedam vero non, nisi sepius. Videtur ergo, quod unum, & idem semel factum possit esse peccatum ueniale: pluries autem mortale. Sed hoc est falsum, ut supra probabatur, quia mortale, & veniale differunt in infinitum.

Dicendum, quod Magister hoc non recitat, tanquam opinionem propriam, sed tanquam alienam, unde ait, quod hoc quibusdam placet: uerum, quia multum uidetur Magister assentire huic opinioni; ideo possumus dicere, quod ueniale pluries reiteratum potest dici mortale non per essentiam ( quia nunquam idem actus in genere moris potest esse ueniale, & mortale) sed potest ueniale dici mortale per dispositionem: Quia ueniale potest disponere ad mortale, & maxime si multoties reiteretur, quia per reiterationem quodlibet peccatum ueniale disponit, ut homo sibi complacat in eo: & ex hoc disponit, ut sit ibi complacentia finis, & ut sit ibi peccatum mortale.

### Dubitatio II. Litteralis.

Ulterius forte dubitaret aliquis de eo, quod in littera dicitur: E ideo de talibus. Videtur ergo hoc velle Magister, quod de cogitatione, uel de delectatione morosa, si non consentiatur in opus, est uenia petenda, & pectus percussendum,

Orationis viendum, & dicendum: *Dimitte nobis debita no-*  
*Dominiæ stra &c. sed talia fienda sunt pro peccato veniali:*  
*ergo morosa delectatio, si non consentiatur in*  
*opus: videtur peccatum veniale, cuius contrarium*  
*dixerat superius. Dicendum, quod morosa dele-*  
*ctatio dicitur non ratione mortæ, sed ratione de-*  
*liberationis, vel ratione consensus. Quia de ratio-*  
*ne inferiori delectationem habente morosam nō*  
*videtur hoc posse fieri sine deliberato consensus*  
*rationis superioris, & si non in opus, siltē in de-*  
*lectationem illam, quod à peccato mortali excusari*  
*non potest. Nam non solum pro veniali, sed*  
*etiam pro mortali debemus veniam petere, & pe-*  
*catus percutere, & dicere: *Dimitte nobis debi-**

A

*ta nostra. Pro vtroque ergo peccato ista sunt*  
*fienda, aliter tamen, & aliter. Quia si constet*  
*nobis peccatum esse veniale: ista possunt suffi-*  

B

*cere sine confessione Sacerdotis: si sit mortale,*  
*vel probabiliter dubitamus, an sit mortale, non*  
*sufficiunt præmissa sine confessione Sacerdotis.*  
*Inducere tamen debemus nosipso, & alios, vt*  
*omnia peccata confiteamur sacerdoti, etiam ve-*  
*nialia, quām non sit absolute de necessitate sa-*  
*lutis venialia confiteri, nisi in casu quando pro-*  
*babiliter dubitare pestem illa esse mortalia,*  
*quia sēmper bonarum mentium est ibi culpam*  
*cognoscere, vbi culpa non est.*

## Dubitatio III. Litteralis.

Vlterius forte dubitaret aliquis de eo, quod in littera dicitur, quod ratio nostra deduci ad consensum non potest peccati, nisi &c. Sed contrarium est habitum supra, quod potest ratio in inferior peccare sine sensualitate, & ratio superior sine ratione inferiori. Possimus enim peccare etiam mortaliter cogitando de his, quæ sunt Dei, quod pertinet ad rationem superiori: absque eo quod cogitemus de illis temporalibus, quod pertinet ad rationem inferiorem. Et possimus peccare cogitando de his temporalibus, quod pertinet ad rationem inferiorem, quæ se habet, ut mulier: absque eo, quod incitemur à sensualitate, quæ se habet, ut serpens. Dicendum secundum quosdam, quod hoc intelligendum est in peccatis carnalibus: sed hoc non sufficit, quia in quibuscumque peccatis non semper incitamur, vel à Diabolo, vel à carne: sed etiam ad quocunque genus peccati possimus moueri ex motu nostri arbitrii, quod Augustinus planè dicit in de Eccl. dogma. de investigatione Diaboli, quod etiam ueritatem habet de stimulatione, vel suggestione carnis. Nam multi proprio motu mouentur ad peccata carnalia, non præcedente stimulatione, vel suggestione carnis.

Dicendum est ergo, quod uerba Magistri intelligenda sunt in peccatis, quæ oriuntur ex motu sensualitatis, in quibus ratio non flectitur, nec deducitur sine motu illius partis, id est, sine motu sensualitatis, quæ est apta, nata obtemperare rationi.

## Dubitatio IIII. Litteralis.

Vlterius forte dubitaret aliquis de eo, quod in littera dicitur, quod nomine sensualitatis sēpē intelligitur ratio inferior in Scriptura.

Sed contra: Non habetur, nec in veteri nec in nouo testamento, quod nomine sensualitatis importetur ratio: immo in Scriptura sancta nō habetur in usu hoc nomen, sensualitas.

Dicendum, quod Scriptura potest accipi non solum pro Scriptura sacra, vel pro Canone Bibliæ: sed etiam pro dictis Sanctorum, in quibus nomine sensualitatis potest inferior designari.

## DIST. XXV.

## De adiutorio homini dato, quod est liberum arbitrium.

**A**M VERO AB propositū redeamus. Postquam Magister determinauit de adiutorio, quod habemus ad resistendum peccato in quadam generalitate, & in quodam inutiluero; In parte ista descendit ad duplex adiutorium, quod habemus ad hoc agendum. Nā duplex adiutorium, est liberum arbitrium: Et gratia, siue donū aliquod gratis datum: Duo ergo facit, quia primo agit de libero arbitrio, Secundo agit de ipsa gratia, & de virtute, quæ est donum gratis datum ibi: [ *Hæc est gratia operans.* ] in principiō. 26. Dist. Circa primum tria facit, quia primo determinat quid sit liberum arbitrium, quia est potestas, & libertas voluntatis, & rationis. Secundo quorum est liberum arbitrium, tanquam obiectorum, quia nec est præsentium, nec præteriorum, sed futurorum contingētum. Tertio determinat, in quibus habeat esse liberum arbitrium. Quia habet esse in his, in quorum potestate est eligere bonum, vel malum. Propter quod non videtur esse in Deo liberum arbitrium: nec in Beatis. Secunda ibi: [ *Hoc autem sciendum.* ] Tertia ibi: [ *Est quidem.* ] Circa quod tria facit quia primo ostendit, quomodo liberum arbitriū est in Deo. Secundo quomodo est in Angelis, & in alijs Beatis. Tercio ostendit, quod lib. arb. dicitur magis & minus. Secunda ibi: [ *Angeli vero.* ] Tertia ibi: [ *Quod prædictis perspicuum sit.* ] Circa primum tria facit quia primo agit, quod in Deo nō est lib. arb. Secundo ostendit, quod in Deo est lib. arb. sed aliter, quod in alijs. Secunda ibi: [ *sed quod in Deo.* ] Tertia ibi: [ *sed aliter.* ] Tunc legem illa pars: [ *Angeli vero.* ] in qua ostendit quo in Angelis, & in Beatis est lib. arb. Circa quod duo facit, quod primo facit quod dictum est. Secundo ostendit, quod multo liberius est arbitrium in Angelis, & in Beatis: qui non possunt ferre peccato, quam in alijs, ibi: [ *Multa quippe liberius.* ] Tunc sequitur illa pars: Aegid. super ij. Sent. B b 2 Ex

[Ex predictis.] In qua ostendit, quod lib. arb. suscipit A magis, & minus, quia major sicut libertas in natura instituta, & in natura corrupta. Et maior erit gloria, vbi erimus per gratiam confirmationis, & in natura corrupta, & est instituta. Duo facit, quia primo facit, quod dictum est. Secundo distinguit diversas libertates arbitrij. ibi: [Est namque libertas.] Circa primum tria facit, quia primo ostendit, quo modo libertas arbitrij suscipit magis, & minus. Secundo distinguit quatuor status hominis, vide licet ante peccatum, & post peccatum: ante reparationem gratiae, & post reparationem gratiae, & per confirmationem gloriae. Et ostendit quomodo in omnibus his statibus habet esse aliter, & alter libertas arbitrii. Tertio specialiter determinat de diminutione, & corruptione lib. arb. per peccatum. Secunda ibi: [Et possunt.] Tertia ibi: [Vnde materiam.] Tunc sequitur illa pars: [Est autem libertas.] In qua distinguit diversas libertates arbitrij. Tria ergo facit, secundum quod tres sunt huiusmodi libertates, à necessitate, à peccato, & à miseria. Secunda ibi: [Est alia libertas.] Tertia ibi: [Est iterum libertas.] Prima pars remanet induisa. Tunc sequitur illa pars: [Est autem alia libertas.] In qua determinat de libertate à peccato. Circa quod duo facit, quia primo facit, quod dictum est. Secundum circa libertatem arbitrij mouet quasdam questiones ibi: [Hic queri potest.] Circa primum tria facit, quia primo ostendit, qualis est libertas à peccato. Secundo in quibus habet esse huiusmodi libertas, quia haberet esse solum in illis, quos filius liberat per gratiam. Tertio ostendit, quod libertas arbitrij potest esse bona, & mala, vera, & non vera, quia libertas ad faciendum malum, per quam seruimus peccato est mala libertas, & non est uera, sed libertas per gratiam, per quam seruimus iustitiae, est bona libertas, & vera. Secunda ibi: [Istam libertatem.] Tertia ibi: [Est alia libertas.] Tunc sequitur illa pars: [Tunc queri potest.] In qua circa libertatem arbitrij mouet quasdam questiones. Circa quod tria facit, quia primo mouet questionem de libertate ad malum. Et assignat circa hoc modum dicendi quorundam. Secundo mouet questionem de libertate ad bonum, & tangit circa hoc modum dicendi quorundam. Tertio circa praemissa determinat ueritatem, videlicet quod eadem libertas arbitrij est ad malum, ante, quam sit per gratiam reparata, & est ad bonum, postquam est reparata. Secunda ibi: [Similiter etiam queri.] Tertia ibi: [Verum nobis.] Tunc sequitur illa pars: [Est iterum libertas.] In qua determinat de libertate à miseria. Circa quod duo facit, quia primo facit, quod dictum est. Secundo resumit quomodo per peccatum lib. arb. est diminutum, & corruptum ibi: [Ex predictis.] Et tria facit, quia primo facit quod dictum est. Secundo ait, quod non est pariter libertas in bonis, & in malis. Tertio ait, quod tam à peccato, & à miseria possumus liberari per gratiam. Secunda ibi: [Liberum ergo.] Tertia ibi: [Libertas ergo.] & in hoc terminatur sententia praesentis Lectionis, & Distinctionis.

## Quæst. I.

## Q V A E S T. I.

*De liberi arbitrij subiecto, & qualitate.*



N HAC Distinctio de libero arbitrio queremus sex. Primo quæremus de libero arbitrio, quantum ad subiectum; utrum lib. arb. sit in Deo & in Beatis. Secundo an in Brutis. Tertio quærum ad coactionem, utrum possit cogi. Quarto quantum ad opera humana utrum omnia opera humana sint à libero arbitrio. Quinto quantum ad augmentum, & diminutionem, utrum possit augeri, vel minui. Sexto quæremus de modis libertatis talis in littera.

## ARTIC. I.

*An in Deo, & in Beatis sit liberum arbitrium.*

*Conclusio est affirmativa.*

D.Th. 2. sent. d. 25. q. 1. art. 1. Ric. d. 25. q. 1. Bacc. d. 26. q. 4. Et pro corp. Art. Vide Dur. d. 25. q. 1. & 3. Et Ric. q. 3.



D PRIMVM sic procedit: videtur quod in Deo non sit liberum arb. quia secundum Philosophum, Elec[t]io est desiderium præconsiliati. Cum ergo elec[t]io sit actus liberi arbitrij, & fiat cum consilio, quia uidetur esse elec[t]io conclusio: vbi non est consilium non erit ibi elec[t]io, & vbi non est elec[t]io, non erit liberum arbitrium, sed secundum Dam. lib. 2. c 22. Non enim consiliatur Deus: ignorantia enim est consiliari. Sed in Deo non cadit ignorantia: ergo &c.

Præterea idem Dam. eo li. & cap. vlt. quod uoluntas sit in Deo, sed non elec[t]io, ergo idem, quod prius, cum elec[t]io sit actus liberi arbitrij.

Præterea in his, quæ sunt determinata ad unam partem: non uidetur esse elec[t]io, nec liberum arbitrium. Nam lapis eo, quod determinate mouetur deorsum: non eligit, nec deliberat de motu suo. Deus ergo quia semper determinatur ad unam partem, id est, ad bonum, non uidetur, quod in eo cadat elec[t]io ne[ci]lib. arbitrium.

Præterea uidetur, quod saltum in Beatis non sit liberum arbitrij, quia, ut habetur in littera, uidetur esse liberum arbitrium in his, quæ possunt voluntatem mutare, & in contraria deflectere. sed hoc non uidetur esse, nec in Deo, nec in Beatis; ergo.

Præterea in eadē littera dicitur, quod in illis est liberum arbitrium, in quorum potestate est elegere bonum, vel malum. sed certum est hoc non esse, nec in Deo, nec in Beatis, cum non possint elegere malum; ergo &c.

In CONTRARIUM est August. de C. Dei lib. tom. 1. vlt.

vlt. c. vlt qui ait, q̄ certe Deus ipse, nunquam q̄ peccare non potest: liberum arb. habere negandus est: ergo non obstante, quod Deus nō potest peccare, nec velle malum: non propter hoc negandus est habere liberum arbitrium.

Præterea cui comperit eligere, competit habere liberum arb. Cum electio sit actus liberi arb. Sed Deo competit eligere, iuxta illud: Elegit nos in ipso, &c.

Eph. 1. Præterea in quoconque est consilium: in illo est liberum arb. Sed in Deo est consilium, quia secundum Eph. 1. dum Apostolum ad Ephe. 1. Omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ: ergo &c.

## R E S O L V T I O.

In Deo est liberum arbitrium, per quo d. vult ea, quæ sunt ad finem, sed nobiliori modo, quam in nobis.

<sup>a. Eth. 3. § 4</sup> RESPONDEO dicendum, q̄ secundum Philosophum, Voluntas est finis, electio est eorum, quæ sunt ad finem. Cum ergo electio sit actus liberi arbitrij, nihil est aliud liberum arbitri; nisi illud, per quod volumus ea, quæ sunt ad finem, propter finem. Deus ergo, ut vult seipsum, & bonitatē suā tanquam finem, est in eo voluntas. Sed ut vult alia a se, tanq̄ ea, quæ sunt ad finem propter seipsum: tanquam propter finem, est in eo liberum arb. Omnia tamen, quæ dicuntur de Deo, & de nobis, vel de Deo, vel de quibuscumque creaturis: oportet hoc esse diuersum modū: prout Magister dicit in littera. Nam nos volumus, quæ sunt ad finem, propter finem, vel acquirendum, vel conservandum. Sicut infirmus vult potionem propter sanitatem acquirendam. Sanus vult deambulare post cēnam propter sanitatem conservandā. Deus aut vult omnia alia bona propter bonitatē suā non acquirendam, quia eam habet. nec conservandam, quia eā non potest perdere, sed vult omnia alia propter bonitatē suam eis communicandam.

Vel si volumus procedere per viam Magistri: dicemus, q̄ liberum arb. dicit duo, quia dicit liberum, & dicit arbitrium. Et quia arbitri videntur esse iudices voluntarij, ideo arbitrium videtur esse iudicium secundum voluntatem. Propter qd Magister in littera dicit, Liberum arbitrium esse liberum de voluntate iudicium. Si ergo negamus à Deo liberum arbitrium: vel hoc esset ratione libertatis, vel ratione iudicij, vel ratione voluntatis. Igitur si sufficiat sibi solus: ipse nullo alio indiget. Propter quod Philosophus dicit naturalē humanam multipliciter ancillam, quia multis indiget.

<sup>T. c. 4.</sup> Rursum si loquamur de iudicio per autonomiam, iudicium competit sibi. Nam Philosophus in 3. de anima commendat Anaxagoram, qui possuit intellectum immaterialem, ut possit iudicare omnia. Cum ergo omnia alia possint dici aliquo modo materialia respectu Dei, quia etiam ipsa intelligentia, ut dicitur in lib. de causis: ha-

A h[oc] est suum Hyleachin i suum materiale. Cum er [t] Hyleachin go Deus sit summè immaterialis, summè com. quid petit ei iudicare omnia.

Tertio si volumus loqui de ipsa voluntate, vel de ipso voluntario, quia hoc est liberum arbitrium: Voluntarie velle, quæ sunt ad finem; Dicemus, quod in omni alio habente liberum arbitrium, naturaliter loquendo, potest admisceri de fini voluntario, præterquam in Deo, liberum ergo de voluntate iudicium magis competit Deo, quam alicui alii: & quia hoc est liberum arbitriū. oportet liberum arbitrium, per antonomasiā esse in Deo. In eo ēt est consilium, & electio. Haec ergo sunt in Deo, sed non eo modo, quo sunt in nobis, quia consilium in nobis est quæstio de agibilibus pertinentibus ad nos. Nam qualiter Scythæ conuersantur: nullus Lacede. <sup>b. Eth. cap. 2.</sup> moniorum consiliatur, ut dicit Philosophus, quia nihil ad eos de conuersatione Scytharum. Omne ergo consilium est quædam quæstio, licet non omnis quæstio sit consilium. Et quia omnis quæstio est dubitabilis propositio, ideo consilium, ut est in nobis, qui tanquam ignorantiales dubitamus de rebus, in Deo esse nō potest.

In Deo ergo dicere esse consilium est dicere rectum iudicium, quod habet de rebus. quia operatus est, & quia omnia quoconque voluit fecit: ideo dicitur omnia operari consilio voluntatis suæ.

C Et sicut salvamus in Deo consilium: ita possumus ibi salvare electionem, quia secundum Damasci lib. 2. cap. 22. Electio est duobus præiacentibus, eligere hoc præ altero. & istud maximè competit Deo. Nam ab æterno præuidit omnes modos factionis creaturarum, & omnes modos, quibus poterat bonitatē suam communicare creaturis, & de omnibus illis modis eleget sibi hunc modum, secundum quem communicauit bonitatē suam creaturis. Est ergo in Deo liberum arbitrium, per quod vult ea, quæ sunt ad finem. Et vult nos creaturas suas propter bonitatē suam, quæ est omnium finis.

## A R T I C. II.

D *An in brutis sit liberum arbitrium.*

*Conclusio est negativa.*

T. Th. 12. q. 6. art. 2. Et 1. p. q. 83. art. 1. D. Bon. d. 1. art. 1. q. 1. Ric. d. 25. q. 2. Biel. d. 25. q. 1. Bacc. d. 26. q. 2. Dur. d. 25. q. 2.

 ECUNDI queritur utrum in Bruti sit liberum arb. Et videtur, q̄ sic, quia quæ sunt susceptibilia disciplinæ: videntur habere lib. arb. sed aliqua bruta sunt susceptibilia disciplinæ, ut ad 1. Mat. 1. Aegid. super ij. Sent. B b 3 sen-

<sup>1. Met.</sup> sensum videntur, & ut vult Philosophus in 1. Meta. quia disciplina, quae sunt iuxta memorias habent hunc sensum, id est auditum.

Præterea prouidentia, quæ est de futuris, non videtur esse sine libero arbitrio, sed formicæ uidetur habere prouidentiam, quia in messe congregant cibum, quem comedant: ergo &c.

Tomo 4.

Præterea refrænare desiderium suum non videtur esse sine libero arbitrio, quia secundum Aug. 73. questionum. q. 38. Videlus immanissimas bestias à maximis voluptatibus abstinerre dolorem metu: ergo &c.

Eth. 3. cap. 1.

Præterea voluntariè operari nō est sine libero arb. sed aliqua animalia alia ab hoīe: fīm Philoso phū: in 3. Ethic. operantur voluntariè: ergo &c.

In CONTRARIUM est, quia tunc bruta possunt mereri, & demereri, quod est falsum.

### R E S O L V T I O .

*In Brutis liberum arbitrium esse non potest. Idque ratione actus, potentia, atq; obiecti affirmatur.*

DICENDVM, q; omnis motus in fine præsupponit aliquā cognitionem. Si n. videremus sagittam directè tendere in signū: diceremus, q; ab ali quo cognoscente signū dirigitur in signum, sic quia videntur totā naturā tēdere in fine, oportet, q; aliquis dirigat eā, per cuius intellectum directè tendit in finem. Et ideo dicit Commen. in 12.

Auct. 12.

Natura non intendit, nisi memorata à superioribus causis, quæ sunt Deus, & intelligentiae. Et propter hoc opus naturæ dictum est opus intelligentie. Licet ergo oīa sint effectus agentis pintel lectum, & licet omne agens per intellectum agat per liberum arbitrium; non tamen propter hoc oportet, q; in oībus sit intellectus, uel liberū arb. quia non oīa dirigunt seipsa, nec oīa diriguntur p cognitionē, quæ sit in ipsis, sed sufficit huiusmodi cognitionem esse in alio, sicut sufficit cognitio nem esse in sagittante ad hoc, q; sagitta dirigatur in signum. Hoc est enim liberum, quod est sui gratia, & quod seipsum dirigit in fine. Est enim liberum arbitrium liberum iudicium, quæ ergo non iudicant, vel non libere iudicant, liberum arb. habere non possunt. Naturalia ergo, quæ fīm q; huiusmodi iudiciū non habent de rebus: non dicuntur habere liberum arb. bruta ēt, si habent aliquale iudiciū, non habent ipsum liberum, cū nō habeat cognitionē, nisi organicā, & nō habeat potentiam ad se conuersuum. Quia, ut ait Proclus, Omne, quod ad se conuersuum est, incorporeum est. Cum ergo nulla virtus sit in brutis, quæ non sit corporea, &c., quæ non sit affixa organo, nulla uirtus erit in eis, quæ sit ad se conuersua, & quæ possit iudicare de actu suo. Ex hoc ergo cōcluditur, q; nullum brutū sit dñs sui actus, cum potentia sensitiva non possit iudicare de suo actu. Quicunque enim dominatur alicui: iudicat de eo, cui dominatur, & est ad se conuersuum. Sicut ergo sensus non est ad se conuersum,

A sensus, quia affixus organo: Ideo nō est liber, quia est alligatus organo. Sic appetitus, sequens sensum non erit liber, sed erit alligatus organo. Et si in aliquo animali, ut puta in homine: appetitus sensitivus aliquid participat de libertate: hoc non erit secundum se, sed prout est aptus, natus obediens rationi.

Vtique ergo modo, & ex parte actus, & ex parte potentiae, possumus concludere in brutis non esse liberum arbitrium.

Ex parte quidem actus, quia non sunt domini suorum actuum, nec aliqua potentia in brutis potest se conuertere super suum actum, ut ex hoc dicatur habere dominium sui actus. immo quia sola rationalia, & sola habentia intellectum possunt se conuertere super suum actum, benè dictum est, quod quæ non habent rationem, vel intellectum, non possunt habere liberum arbitrium. Hoc etiam, & sequitur ex parte ipsius potentiae, quia, ut tacitum est, ex quo potentia non est libera, sed est organo alligata, non potest habere libera opera, nec poterit esse liberi arbitrij. cuius est habere libera opera. Aduertendum autem, quod non solum actus liberi arb. sunt liberi, sed etiam actus aliarum potentiarum, ut referuntur ad liberum arbitrium dicuntur esse liberi. Propter quod Dam. li. 2. c. 22. vult, quod voluntas liberi arbitrij vult, liberum arbitrium inquirit, & scrutatur, & liberum arbitrium iudica, & liberum arbitrium eligit. Licet ergo eligere, & velle pertineat ad voluntatem, inquirere tamen, & indicare pertinet ad intellectum.

C Voluntas ergo libere vtitur actibus suis, quia libere vult, & libere eligit, & libere vtitur actibus aliarum potentiarum, quia libere inquirit, & libere iudicat. Hæ autem duæ rationes, q; in brutis non est liberum arbitrium. Una ex parte actus, q; non habent dominium suorum actuum: & alia ex parte potentiae, quia ipsa potentia est alligata organo, & ex hoc magis agitur, quām agat: possunt haberi à Dam. li. & ca. præal. qui agit, quod bruta non habent dominium suorum actuum, & q; magis aguntur, quām agant.

Posset autem & tertia rō sumi ex parte obiecti, q; si bruta habent liberum arb. præsente obiecto concupiscibili, possent non concupiscere, q; posset eorum cōcupiscentia refrænari à rōne. Virtus autem huius rōnis pōt haberet ab Aug. 9. super Gen. Tomo 3.

D Vbi dans differentia inter rōnalia, & irrationalia: vult, quod irrationalia, præsente concupiscibili, non possunt non concupiscere, quia non habent rationem refrænante concupiscentiā. Restat ergo soluere argumenta vtriusque articuli.

### R E S P. A D A R G. A R T. I.

Ad primū dicendū, q; in Deo est electio, & est in eo consilium, sed non eo mō, quo sunt in nobis, quia consilium in nobis est quæstio, & est dubitabilis propositio de rebus agilibus: sed in Deo nō potest cadere aliquid dubium, sed sp est rectum iudicium, & electio in eo poterit vocari illud,

Bentz cur  
lib. arbitriū  
non habeat

Illud, quod sequitur ad tale iudicium: quia aliqua dicitur eligere, & aliqua reprobare sicut suum rectum iudicium. Et per hoc patet solutio ad secundum. Verba enim Damas. soluta sunt per iā dicta: quia nec electio, nec consiliū sunt in Deo, eo modo, quo sunt in nobis, & utrumque est in Deo. sed aliter, quam in nobis.

Ad tertium dicendum, q̄ licet Deus determinat̄ velit semper bona, non tamen oportet, q̄ velit hæc bona. Potuit n. multa alia genera creaturatum facere, quam fecerit, voluit tamen, & elegit hæc facere, quæ fecit, ut ex hoc electio, & liberum arbitrium sit in ipso.

Ad quartum dicendum, q̄ posse velle malū, nec est libertas, nec pars libertatis: sed est quidam defectus voluntatis. Quia malum sicut Augustinū non habet causam efficientem, sed deficientem. Hoc est. n. posse velle malum, posse deficere à bono. cum n. bonum sit, quod omnia appetunt, sc̄ per appetitus de se est aptus, natus ferri in bonū: si autem feratur in hoc, quod non est bonū, hoc erit ex defectu iudicij saltem in particulari: quia iudicabit bonum, quod non est bonum, uel iudicabit bonum existens, quod est bonum apparet. vt ergo iudicetur bonū, quod non existit bonum sine defectu iudicij esse non potest, ex quo defectu sequitur defectus in appetitu, vt appetat id, quod non est bonū. Nō ergo arguitur, q̄ in Beatis non sit liberum arbitrium, sed quod non est in eis liberum arbitrium defectuosum.

Ad quintum dicendum, q̄ diffinitio data in littera de libero arbitrio nō est diffinitio liberi arbitrij simpliciter, sed liberi arbitrij, vt est in pueris viatoribus, qui possunt ad bonum, & malum flecti.

### RESP. AD ARG. DVB.

Ad primū autē argumentū secundae questio nis, utrum in Brutis sit liberum arbitrium, dicendum q̄ illa animalia sunt disciplinabilia, nō simpliciter, quia nō sunt disciplinabilia, nisi quæ possunt agere ex habito electio, uel possunt habere actiones disponentes ad tales habitū, quæ in Brutis esse non possunt. Habent tamē Bruta propter eorum estimationē aliqua similia operibus disciplinariis, quia aves, & canes, & aliquæ aliae bestiæ assuefiunt per homines ad aliqua opera, in quibus aliquid participant de disciplina: sed simpliciter disciplina dici nō debet. Sicut enim sensuilitas in homine aliquid participat de ratione, simpliciter tamen non est rationalis. Sic bestiæ, quæ sunt cū hominibus, aliquid participate possunt de disciplina.

Ad secundum dicendum, q̄ aliqua animalia habent prouidentiam futurorum. Sed hoc nō est ex arte, vel disciplina: sed hoc est ex quodam naturali instinctu. Nā una formica non docet aliā, quomodo debet cōgregare in messe: sed quilibet hoc agit non ex libero arbitrio, vel disciplina: sed ex quodam naturali instinctu.

Ad tertium dicendum, q̄ bestiæ alias assuefa-

ctiones possunt habere ad aliquid. Ut si canis cū accipiet cibum, verberetur: & si iterū hoc faciat, iterum uerberetur, habens memoriam de verbribus receptis, forte cauebit sibi, ne ulterius capiat cibum. Sed hoc nō facit ex electione, nec ex libero arbitrio: nec ex disciplina, simpliciter loquendo. Propter quod si bestiæ cohibent actū exteriorem: ut non procedant in opus exteriū, non cohibent interiore, ut non concupiscant, ut patuit superius per Augustinum uolentem, quod præsente concupiscibili, necesse est bestiæ concupiscere.

Ad quartum dicendum, q̄ bestiæ dicuntur voluntariè operari, prout uoluntarium extenditur ad appetitum sensituum, ut illud dicatur uoluntariè facere, quando delectabitur hoc faciendo, Eth. 1. c. 1. vel ut r̄ndeamus ad mētem Philosophi dicemus, q̄ Philosophus in 3. Ethic. cum prius dixisset, q̄ pueri, & alia animalia nō operantur uoluntariè. Et postea subdit, q̄ uoluntariè pueri, & alia animalia communicant. In quo planè dat intelligere, q̄ non uoluntariè agunt: licet videantur de uoluntario aliquid participare.

### A R T I C. III.

#### *An liberum arbitrium cogi possit.*

*Conclusio est negativa.*

C Aegidius Quol. 4. q. ultima. D. Th. 1. p. q. 19. art. 8. Et q. 82. art. 1. Et 1. 2. q. 6. art. 4. Et ibi. art. 3. Et de Verit. q. 23. art. 5. 8. Et q. 24. art. 4. Et 1. 2. q. 10. art. 4. Et 2. Sent. d. 25. art. 2. Item. i. contra Gent. c. 8. Et 2. l.c. 29. Et l. 3. c. 73. ad 78. Et 1. Peripher. L. 14. D. Bon. d. 25. p. 2. q. 4. Ric. d. 25. q. 7. Th. Arg. d. 25. q. 1. art. 3. Sco. 1. Sent. Biel. d. 25. q. 1. Dur. d. 25. q. 4. Capr. 1. Sent. d. 1. q. 3.



D secundū sic proceditur. Vñ q̄ liberum arbitriū possit cogi: quia intellectus est æquè immaterialis, sicut uoluntas. Sed intellectus potest cogi, quia cogitur assentire principijs, & dignitatibus, & cogitur assentire conclusionibus, quas uidet sequi ex principijs, ergo & uoluntas.

Præterea quicquid mouetur, vide cogi a suo motore: sed liberum arbitrium mouetur a sensualitate, vt patet per Philosophum in 3. de Anima, q̄ vñus appetitus mouet aliū: sicut sphæra sphærā. Mouetur etiam a suo obiecto. i. ab appetibili: ergo cogitur, cum id, quod mouetur, vincatur: & ex hoc videtur, q̄ cogatur a suo motore.

Præterea dicitur de incontinenti, q̄ uincitur passionibus, & si uincit, cogitur: cū ergo agat incontinentiē per liberū arbitriū, vñ, q̄ lib. ar. cogi possit.

Præterea plus est tollere liberum arbitrium, quam ipsum cogere. Sed aliqui perdunt liberum arbitrium, vel usum liberi arbitrij, vt frenetici. Si ergo totaliter possunt perdere usum, possunt cogi ad hunc usum.

IN CONTRARIUM est Anselmus in libro de Libero Arbitrio dicens, q̄ cum uoluntas vincitur, nō aliena vincitur potestate, sed sua. Sed si non potest uinci aliena potestate, non potest cogi, ergo &c.

Præterea idem Anselmus vult in eodē libro, q̄ difficultas nō permitit uoluntati libertatem impugnare, nam potest in voluntatem, sed expugnare nequit in uitam. Quantuncunque ergo ali quid sit difficile. Ut puta, q̄ quis occidatur, nisi hoc faciat, impugnari potest hoc modo uoluntas: sed non expugnari, uel vinci inuita.

1. Eth. c. 1. Præterea Philosophus vult in Ethicis, quod ridiculosa sint quæ compulerunt Alchemoneum ad necem matris: quidam dicit se occidisse matrem coactus: sed nullo modo debuit occidere eam. sed debuisse ipse potius pericula quæque subire, ac mortem subire. Nihil ergo potest voluntate, uel liberum arbitrium cogere.

### D V B. I. L A T E R A L I S.

*An liberum arbitrium à Deo cogi possit.  
Conclusio est negativa.*

D.Th.lib.3, contra Gent.c.148. D.Bon.d.25.p.2.q.5.  
Ric.d.25.q.8.Th.Arg.d.25.q.1.art.4.

 **L**ITERIUS fortè dubitaret aliquis, utrum liberum arbitrium possit cogi saltē à Deo. Et videtur q̄ sic quia fin Anselmum, liberum arbitriū est potentissimum sub Deo, ergo si est potentissimum non potest cogi ab alio: tamē quia est sub Deo, videtur, q̄ potest cogi a solo Deo.

Præterea Luc. dicitur: Exi in vias, & sepes, & compelle intrare: sed compellere est cogere: si ergo homines possunt compelli, ut intrent ad coniuinum, & impleant dominum Dei, videtur, quod liberum arbitrium possit cogi.

Præterea dicitur Ioan. Nemo venit ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum. Cum ergo non eatur ad Christum, nisi per liberum arbitriū, & per voluntatem, & trahere sit quoddam cogere: si pater potest liberum arbitrium nostrum trahere, potest ipsum cogere, ergo &c.

Præterea plus pót summus spiritus super quæcunque sp̄ritum, & super liberum arbitrium cuiuscunque spiritus, quām possit quicunque sp̄ritus super quodcumque corpus. Sed corpus cogitur a proprio sp̄itu ambulare, vel aliquid facere, ergo &c.

IN CONTRARIUM est. Quia si liberum arbitrium posset cogi, posset coacte mereri, uel demereri quod est inconueniens.

Præterea cū coactio opponatur libertati, uel non erit liberum arbitrium, uel nō poterit cogi.

### R E S O L V T I O.

*Liberum arbitrium à Deo cogi non potest, nedum ab alio. Idq; patet ratione intellectus, actus, obiecti. Potest tamen à Deo immutari.*

### Quæst. I.

A R E S P O N D E O dicendum ad quæstionem primā, q̄ triplici via uenari possumus: q̄ liberū arbitriū non potest cogi. Vt sit una via prout liberum arbitrium, uel uoluntas comparatur ad intellectum. Secunda prout comparatur ad actū. Tertia prout comparatur ad obiectum.

Prima via sic patet, quia quantum ad aliqd simile est de intellectu, & voluntate, & non simile. Nam sicut in uoluntariis se habet finis ad ea, quæ sunt ad finem: sic in his, quæ se tenet ex parte intellectus, se habent principia ad cōclusiones. Et sicut intellectus per principia intelligit conclusiones: sic uoluntas per finem uult ea, quæ sunt ad finem: habet ergo se fm Philosophum Finis in practicis sicut principium in speculatibus. & sicut statim cum offeruntur principia intellectui, statim assentit eis, & statim dissentit contrarijs eorum: sic uoluntas allicitur a fine, & de necessitate uult finem. Quia quilibet de necessitate uult esse Beatus, & quilibet abominat contrariū fini, nullus uult esse miser. Differt tamē uoluntas ab intellectu: quia postquam intellectus intelligit principia, & assentit eis, & uidet has cōclusiones sequi ex his principiis, de necessitate assentit illis conclusionibus. Sed uoluntas non sic: quia postquam uult finem ut puta quia homo uult beatitudinem, & scit se non posse habere beatitudinem sine talibus operationibus, uel sine talibus abstinentijs, non oportet hominem uelle opera illa, uel abstinentias illas. Huiusmodi autem ratio est: quia res intelliguntur, ut sunt in intellectu: sed appetunt, ut sunt in seipisis. Res ergo intelliguntur, ut sunt abstractæ: sed appetuntur, ut sunt in seipisis, & ut sunt coniunctæ suis conditionibus. Nihil ergo consideratur in conclusionibus, nisi ut sequuntur ex principiis, ideo intelligens principia, de necessitate intelligit conclusiones, quæ sequuntur ex principiis. Si ergo nihil haberent ea, quæ sunt ad finem, nisi quia essent inductiva ad ipsum finem: qui de necessitate uellet finem, de necessitate uellet, quæ inducunt ad finem, si nihil haberet potio, nisi quia esset inductiva sanitatis, qui uellet esse sanus de necessitate uellet potionem, sine qua non posset habere sanitatem. Sed quia potio habet amaritudinem & est uoluta in seipso, fm quem modum coniuncta amaritudini, potest quis uelle sanitatem, & ab hominā ri potionem propter amaritudinem quantuncū que illa potio sit inductiva sanitatis. Propter hāc ergo differētiā inter uoluntatem, & intellectū: quanvis intellectus cogatur assentire conclusionibus, quæ sequuntur ex principiis, nō cogitur: nec etiam necessitatur uoluntas ad uolendū ea, quæ sunt ad finem, quantumcunque necessitatē ad uolendum finē. Et quia liberum arbitriū sumit respectu eorum, quæ sunt ad finē. Iuxta illud Philosophi in 3. Ethic. Voluntas est finis. & electio eorum, quæ sunt ad finem. Ex hac differentia, quam habet uoluntas ad intellectū: quantumcunque necessitatē intellectus ad intelligentiam conclusiones, non oportet, q̄ necessitatē uoluntas ad uolendum ea, quæ sunt ad finē, respectu

Eth. 1. de  
Anim. t. c.  
49. & 2.  
Met. t. 3. &  
6. Eth. cap. 3

1. Eth. c. 1.

C **D**icitur: Voluntas est finis, & est uolentia in intellectu: sed appetit, ut sunt in seipisis. Res ergo appetuntur, ut sunt abstractæ: sed appetuntur, ut sunt in seipisis, & ut sunt coniunctæ suis conditionibus. Nihil ergo consideratur in conclusionibus, nisi ut sequuntur ex principiis, ideo intelligens principia, de necessitate intelligit conclusiones, quæ sequuntur ex principiis. Si ergo nihil haberent ea, quæ sunt ad finem, nisi quia essent inductiva ad ipsum finem: qui de necessitate uellet finem, de necessitate uellet, quæ inducunt ad finem, si nihil haberet potio, nisi quia esset inductiva sanitatis, qui uellet esse sanus de necessitate uellet potionem, sine qua non posset habere sanitatem. Sed quia potio habet amaritudinem & est uoluta in seipso, fm quem modum coniuncta amaritudini, potest quis uelle sanitatem, & ab hominā ri potionem propter amaritudinem quantuncū que illa potio sit inductiva sanitatis. Propter hāc ergo differētiā inter uoluntatem, & intellectū: quanvis intellectus cogatur assentire conclusionibus, quæ sequuntur ex principiis, nō cogitur: nec etiam necessitatur uoluntas ad uolendū ea, quæ sunt ad finem, quantumcunque necessitatē ad uolendum finē. Et quia liberum arbitriū sumit respectu eorum, quæ sunt ad finē. Iuxta illud Philosophi in 3. Ethic. Voluntas est finis. & electio eorum, quæ sunt ad finem. Ex hac differentia, quam habet uoluntas ad intellectū: quantumcunque necessitatē intellectus ad intelligentiam conclusiones, non oportet, q̄ necessitatē uoluntas ad uolendum ea, quæ sunt ad finē, respectu

Luc. 14.

Ioan. 6.

specie quatum sumitut liberum arbitrium.

Secunda via ad hoc idem sumitur ex parte actus. Nam actus voluntatis est uelle, uel actus liberi arbitrii est eligere. Et ipsu eligere est quodam uelle: quia hoc est eligere optare uel uelle alterum praealtero. Cum ergo cogere opponatur ipsi uelle, si uoluntas cogeret: tunc non uoleto, uellet, quod contradictionē implicat. Tunc n. quis cogitur ad aliquid faciendum: quando inuitus, & non uolens facit. Si ergo uoluntas cogetur ad uolendum; inuita, & non uoleto, uellet. Propter autem contingere; qd quis propter difficultatem aliquam uelit, & non uelit. Ut si uider se occidi, nisi metiat: nec cogitur, qd uelit potius occidi, quam mentiri: nec qd uolit potius mentiri, quam occidi, potest eligere quod uult, erit tunc uoluntas coacta. tamē, vt dicitur Iurista, Voluntas coacta uoluntas est. Quia, u. ait Philosophus, Voluntas coacta plus habet de uoluntario, quam de inuoluntario. Nā si eligas potius mori, quam mentiri: illa mors plus habebit de uoluntario, quam de inuoluntario. Ex quo potius uis hoc, quam illud: & econuerso: si eligeres potius mentiri illud mentiri plus haberet de uoluntario, qd de inuoluntario. Ratio ergo alicuius difficultatis poterit aliquid esse uolitum & non uolitum; sed quocunque praeligatur, plus habebit de uoluntario, quam de inuoluntario, & plus erit uolitum, quam non uolitum.

Tertia via ad hoc idem sumitur ex parte ipsius obiecti. Nam obiectum voluntatis, uel liberarbitrii est bonum, uel apparen̄, uel existens. Nam fm Dionys q. de diu. no. Malum non mouet, nisi ratione boni. Bonum autem non mouet, cogendo, sed alliciendo. Voluntas ergo mota propter bonum apprehensum, siue sit apparen̄, siue existens, nō inuita, nec coacta mouetur. Sed quia allicitur ad illud, & iuit, & appetit illud, mouetur ad illud, quæ omnia non sunt coactiones, sed sunt coactioni opposita.

### RESP. AD ARG. ART. III.

Per ea ergo, quæ dicta sunt, patet solutio ad p̄tm̄. Quia non est simile de intellectu, & voluntate: quia coactio specialiter repugnat uoluntari, cuius actus est uelle: nō autē sic repugnat intellectui, cuius actus nō est uelle, sed intelligere.

Vel possumus dicere, qd res intelliguntur, ut sunt in intellectu: sed appetunt, ut sunt in seip̄sis: potest uoluntas uelle finem, nō uolendo, quæ sunt ad finem: quantuncuque sciat non posse habere finem sine his, quæ sunt ad finem: sed nō est sic de intellectu, ut est per habita manū sestum.

Ad secundum dicendum, qd actus actiuotum sunt ita patiente, & disposito: oportet ergo, qd sic inducatur aliquid secundum, quod est apud natum moueri: sed uoluntas non est apta nata moueri nisi uolendo. Motus ergo uoluntatis est uel le. Si ergo uoluntas posset cogi, posset moueri inuita, & moueretur non uolendo, & per consequens moueretur non mota, cum suum nolle sit

suum non moueri, & suu uelle sit suu moueri.

Ad tertium dicendum, qd incontinentis uincitur a passionibus, quia impellitur ab eis, non tamen compellitur ab ipsis. Vel si uolumus sequi modum loquendi Anselmi; Voluntas potest impugnari; sed non expugnari. Passiones ergo impugnant nos, & impellunt nos ad malum: quia possimus uincere eas & non operari secundum eas: quia sumus domini operum nostrorum a principio usque ad finem. Dicitur ergo incontinentis, uinci ratione difficultatis, non ratione impossibilitatis. Vel dicitur uinci propter impulsionem, non propter compulsionem.

Ad quartum dicendum, non esse inconveniens, qd liberum arbitrium, uel eius usus possit tolli, & tamen non possit cogi. A graui enim potest tolli grauitas, & potest fieri leue, & monebitur naturaliter sursum: sed manente graui, naturaliter sursum fieri non potest. sic propter impedimentū corporis ut propter corruptionē phantasie, uel uirtutis estimatiū, potest tolli usus liberi arbitrij, sed manente usu liberi arbitrij, nō potest cogi: cum coactio repugnat uoluntario, & uoluntas non nisi uoluntariē moueat. Et si aliquando dicatur moueri coacta, illa coactio plus habebit de uoluntario, quam de non uoluntario.

### RESP. AD ARG. DVB.

Ad id autem, quod ulterius queritur: vtrū liberum arbitrium possit cogi à Deo. Dicendum quod hoc solo Deus priuat, vt uult Philosophus.

Eth 6.2.

Ingenita facere, quæ utique facta sunt: Non potest enim Deus facere, qd genitum non sit genitum, & quod factum non sit factum. Vnde communiter a Theologis dicitur: Quia Deus sic est omnipotens, qd non potest quæ implicant contradictionem. Et Commen. in 12 ait: quia nullius agentis est facere, quod repugnat effectui. & quia hoc repugnat effectui qd graue manens graue, sit leue. Et qd liberum manens liberum cogatur, quod ergo liberum arbitrium manens tale cogat, est impossibile. Vnde Anselmus: Ligari pot homino inuitus: quia nolens potest ligari torqueri inuitus: quia nolens potest torqueri: occidi inuitus, quia nolens potest occidi. sed uelle nō potest inuitus, quia nolens non potest uelle.

D Aduertendum tamē, qd vt uult Augustinus 7. de Civit. Dei: Deus sic administrat res, ut eas proprios motus agere sinat. Aliquando tamen facit præter istum solitum cursum, & in his, quæ sunt naturæ, & in his, quæ sunt gratia. Propter quod licet Deus non possit cogere liberum arbitrium, potest tamen ipsum immutare. Nam cum Paulus cum nullis bonis meritis, sed cum multis malis demeritis persequeretur ecclesiā, Deus in uia conuerit ipsum, & immutauit uoluntatem eius, non ergo fecit, quod inuitus a persecuzione desisteret: sed qd seruētius alijs pro Ecclesia laboraret. Propter quod bene dictum est Proser. Cor Regis in manu Domini, quo cunque uoluerit, inclinabit illud.

Tomo 5.  
c. 30.

Liberum arbitrium à Deo cogi non potest, sed immutari. Vide item supra.

## CONTRA-

## DICTIO.

Hic negat est sub Deo, nō, q̄ posse ipsum cogere: quia hoc liberum arbitrium. Et pliicit loquendo, nolēs uelit, & quod. similitudinem. Et idem in-

dix. q. 1. art. 3. arbitrium sub Deo & si non potest cogia Deo,

d. q. 1. art. 4.

Ad secundum dicendum, q̄ ibi compellere posse co- test exponi pro impellere. Nam, uel aduersitati gl. Quod cō- cedimus, quā tu ad actus imperatos, nō elicitos, Vnde ibi huius distinctionis ex- positione,

Ad tertium dici potest, q̄ sicut homines cō- pelluntur intrare in domum Dei; sic trahuntur ad Christum per Patrem. Quia non trahuntur compellendo, sed inclinando, uel eorum uolun-

tate inmutando.

Ad quartum dicendum, q̄ non est contra rationem corporis compelli: sed contra rationem liberi arbitrij, quod cogatur.

## D V B. II. L A T E R A L I S.

*An uoluntas à seipso moueri possit.  
Conclusio est affirmativa.*

Mouet enim se determinando se ipsum ad motum per intellectum & per se ipsum: non contradicendo motui: & consentiendo: sed non actuatur a se, sed ab obiecto, ut in prima, & secunda dubitatione sexti Articuli patet.

Aegid. Quol. 3. q. 16. D. Th. 1. p. q. 8. art. 1. Et 1. 2. q. 9. art. 3. Sc. d. 25. q. 1. Greg. Arim. d. 24. q. 1. Biel. d. 25. q. 1. Tho. Arg. d. 25. q. 1. art. 1. Capr. d. 25. q. 1. Bacc. d. 25. q. 1. art. 2. Vide etiam Zim. in q. de mouente, & moto.

**V**ITERIVS forte dubitaret aliquis, cum uoluntas possit moueri ab alio, vtrum possit moueria seipso. Et uide detur, quod non, quia mouens, & motum debent esse distincta. ergo, &c.

Præterea in 7. Physi. scribitur. quod omne, quod mouetur, ab alio mouetur.

**I**N CONTRARIUM est quod determinauimus, in quodam nostro Quolibet, q̄ uoluntas mouet sed determinando non actuando se. Dicendum, q̄ dictum nostrum multi calumniatur, quia istud determinare, uideatur dicere aliquem actum. Erit ergo oppositum in adiecto, quod uoluntas determinet se, & non actuuet se, uel q̄ uoluntas mo-

uerat se determinando non actuuet. Sciendum ergo q̄ uoluntas potest comparari ad intellectum, & ad actum, & ad obiectum, & ad obiectum. & omnibus istis modis potest se mouere non actuando.

Primo quidem hoc patere potest, ut comparatur ad intellectum. Nam cum dubium est, quid agere debeat, potest mouere intellectum ad inquirendum, qualiter possit suum finem consequi, vt si quis uult esse Rex, potest inuenire viam, quomodo potest regnare: & si uult esse sanus, quomodo possit sanari. \* Quidam diu ergo uoluntas est indeterminata, non mouetur: sed potest mouere intellectum ad determinandam seipsum. Sed

\* Aegid.  
Quol. 3. q. 16.

A propter hoc non actuabit seipsum, sed actuabit uero bono apprehensione ab intellectu.

Secundo hoc idem patere potest, ut comparatur ad obiectum. Nam si aliquid offertur uolūtati sub omni ratione boni, necessitatibus, vt uelit illud. Propter quod quilibet de necessitate

vult esse Beatus: sed sub omni ratione mali necessitatibus, ut nolit illud. Propter quod de necessitate nullus vult esse miser. Sed si offeratur ei sub una ratione boni, sub alia malis, uolūtas poterit illud uelle sub ratione, qua bonum, & nolle sub ratione, qua malum. Ut pura fornicatio est bonum delectabile, & est malum, quia contra legem Dei. Hic ergo uoluntas potest, sed determinare, vel ut velit, sequi legem Dei, prætermittendo fornicationem: vel ut velit sequi bonum delectabile, prætermittendo legem Dei. Sed adhuc

B stat questionis difficultas. Vtrum istud determinare se, sit aliquis actus. Ad quod dici potest q̄ non oportet quod sit actus: sed sufficit, q̄ sit deinde ab actu. Duo ergo offeruntur uoluntati, & quodlibet tanquam bonum. Vnum est sequi legem Dei, & prætermittere fornicationem, allud est sequi bonum delectabile, & prætermittente legem Dei. & quodlibet eorum potest eligi, & a quolibet eorum potest moueri, & actuari: & quamdiu stat indeterminata, nō mouebitur sufficienter, nec ab hoc, nec ab illo. Desistendo ergo ab uno, determinabit se ad aliud, & mouebitur ab alio. Si ergo desistat a fornicatione, vt est bonum delectabile determinabit se ad obiectum aliud: quod est sequi legem Dei. Quid est ergo istud determinare? est desistere ab uno, quod faciebat determinabit se ad aliud. ergo seipsum mouet, ex quo seipsum determinat, quæ determinata mouetur. Indeterminata uero sufficiens moueri non potest, non ergo oportet, quod istud determinare, sit actus: sed sufficit, quod sit desistere ab actu. Desistendo enim ab uno obiecto, determinabit se ad aliud obiectum, ad quod determinata mouebitur, & actuabitur ab illo. & quia prius uoluntas intelligitur se determinare, desistendo ab uno bono apprehenso, quam moueat ab alio (cum sufficiens fieri non possit talis motus sine tali determinatione) bene dictum est, quod uoluntas mouet se non actuando, sed determinando. Actuatur enim semper a bono apprehenso: sed cum illud sit duplex. Vnum spirituale, s. lex Dei. Iuxta illud: Condelector legi Dei secundum interiorum hominem: Et aliud corporale, ut fornicatio; desistendo a bono corporali, ut a fornicatione, determinabit se ad legem Dei, & mouebitur ab ea, & actuabitur ab ipsa, & dicetur tunc condelectari legi Dei secundum interiorum hominem.

C **R**om. 7. Tertia via ad hoc idem potest sumi, prout uoluntas comparatur ad actum, nam actus uoluntatis est uelle. Et istud uelle operatur in ea bonum apprehensum, quia ab eo mouetur, & actuatur, vt velit. Erit ergo hic ordo, quod primæ erit intentio, quia nili aliud intendamus, & propōnamus nobis, ut finis: nescimus, quid agamus. Sed

voluntas an posuit sent in plura si- mul Quol. 3. q. 22.

voluntas determina- ta mouetur.

Sed statim cum intendimus aliquid, illa intentio est quasi quædam lucerna accensa, per quam possumus cogitare quid agendum. Ideo ait Dominus: *Lucerna corporis tui est oculus tuus.* Ibi enim oculus secundum Augustinum stat pro intentione: totum corpus nostrum, idest tota cōgeries operationum nostrorum dirigitur per hunc oculum, idest per intentionem. Primo ergo erit intentio, post intentionem consilium, post consilium iudicium post iudicium sententia, post sententiam determinatio, post determinationem consensus, post consensum electio; & activatio voluntatis ab eis, quæ sunt ad finē. Et licet de his aliqua superius tetigerimus, resumimus tamen ea hic, ut magis appareat solutio questionis. Principium ergo in talibus est ab intentione finis: statim, post intentionem finis, sequitur consilium, quomodo possimus finem intentum adipisci. Estenim consilium secundum Damasc. Apperitus inquisitus de his rebus, quæ sunt in nobis. Post consilium est iudicium, post iudicium sententia. Addit etiam sententia supra consilium aliquid pertinens ad voluntatem: quia tunc est sententia, quando quis disponit, & amat, quod est per intellectum iudicatum. Iudicium ergo pertinebit ad intellectum secundum se, & est conclusio consilij: sed sententia non pertinebit ad intellectum secundum se: disponere autem, & amare pertinebunt ad voluntatem ipsam. Est autem dispositio duplex, ex parte voluntatis vna, quæ potest vocari determinatio. Alia, quæ poterit vocari consensus. Imaginabimur quidem, quod si potest voluntas dissentire, & consentire: oportet quod illud, quod proponatur, vt bonum, & malum: vt fornicatio proponitur, ut bonum carnale: quia est delectabilis secundum carnem, & ut malum spirituale. Verum quia malum non agit nisi sub ratione boni: oportet dare bonum aliquod, cui contrariatur fornicatio. Et ista est lex Dei, quantum ad rationem superiorum: vel lex humana quantum ad rationem inferiorem: vel bonum virtutis moralis, quantum ad rationem inferiorem: uel bonum virtutis Theologicae, quantum ad rationem superiorum. Quodlibet autem istorum bonorum ostensum ab intellectu allicit voluntatem, & quasi dicitur vocare voluntatem: vel per utrumque huiusmodi bonum uocat nos Deus, & Diabolus. Deus enim uocat nos per bonum spirituale, vt puta si sequamur legem suam, & sequamur bonum virtutis. Diabolus autem uocat nos per bonum carnale, vt ad hoc propositum spectat. Potest ergo voluntas, vel claudere Diabolo, & aperire Deo: uel econuerso. Si claudet Diabolo, desistet a bono, quod est fornicatio, & non contradicet legi Dei, uel bono virtutis. Desistendo autem ab uno, determinabit se ad alterum. Ipsa ergo determinatio voluntatis non oportet, quod sit actus: sed sufficit, quod sit desistere ab actu. Duo ergo te vocant, Diabolus, vt sequaris fornicationem; Deus, ut se-

A quaris legem suam, vel bonum virtutis.  
 Sed dices: Nūquid ista uocatio est alius actus? Dicemus, quod est actus intellectus ostendens uoluntati utrumque bonum, potest tamen voluntas se determinare desistendo ab actu, & non applicando uoluntati, uel non sequendo voluntatem. Vnde & Damasc.lib. 2. cap. ultimo ait, quod in nobis est sequi Deum uocantem ad uitutem, vel Diabolum uocantem ad malitiam: sic etiam in nobis est non sequi Diabolum, vel non sequi Deum: ergo non sequendo unum, determinamus nos ad alterum: determinatio ergo voluntatis non oportet, vt diximus, quod sit actus: sed sufficit, quod sit desistere, vel non acti uari per actum. Igitur post consilium iudicium, & sententia, quæ se potest tenere ex parte intellectus, aliter, & aliter recepta. Habebunt ergo ex parte voluntatis hac quatuor, desistere ab uno, à quo desistendo determinat se ad alterum: non contradicere alteri, quod faciendo consentit alteri: equaliter, quod faciendo amat alterū, & eligere alterum. Primò ergo est determinatio voluntatis. Secundò est cōsentīs. Tertiò amor. Quartò electio. Et hæc duo: determinatio, & cōsentīs: quia per eam disponitur voluntas, ut moueat ab obiecto, fortè uocat Damasc dispositionem. determinatio ergo, voluntas, & cōsentīs possunt se habere negatiū ad voluntatē: sed amor, & electio se habent positivē. Nam cum duo ostendat intellectus voluntati; desistendo ab uno, determinat se ad alterum: & nō contradicendo illi alteri consentit illi. Vnde Ambrosius super illo verbo: Non solum, qui faciunt, sed qui consentiunt, ait: Consentire est tacere, cum possis redarguere, vel errorem adulando souere. Tangit ergo duplē cōsentīs, unum negatiū, quod fit tacendo, vel non cōtradicendo: alium affirmatiū, quod fit adulando, vel sequendo: Postquam ergo determinata est voluntas, estib⁹ duplex cōsentīs. Unus negatiū, non contradicendo ei bono, ad quod se determinat. Alius affirmatiū permittendo se trahi ad bonum, ad quod se determinat.  
 C Tripliciter ergo uoluntas mouet se non aetiando se: Primò determinando se ad alterum bonum.  
 Vide D. P. Auguſtinū in Enchy. Tomo 3. ca. 31. ubi oppositum uidetur dicente motus Pauli dicto: Non est uolentis, neq; currentis. Et Diredo de Concordia liberi arbitrii in medio.  
 Secundò non contradicendo, & in hoc consentiendo negatiū illi alteri bono.  
 D Tertiò consentiendo illi bono, ergo mouet se non solum determinando se ad alterū actuū, sed nō contradicendo illi actuū, & consentiendo illi actuū, vel illi actioni. Actuatio ergo est ab obiecto, quod amat, & quod mouet voluntatem ad amorem sui: tamen quia voluntas potest se non determinare ad illum motum, & potest contradicere illi motui, & potest non consentire illi motui, quæ faciendo non mouebitur illo motu; dicitur se ipsam mouere secundum illum motum: cum enim voluntas non possit moueri inuita; oportet, quod permittat se moueri: hoc erit consentire motui, quasi affirmatiū, & non contra-